Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-692419-p0001-8

Sammelband I.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-692419-p0002-4

DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

# PRAESTATIONE RATAE,

VULGO:

## Von Erlegung ſeines Strangs.

QUAM

*ANNUENTE DIVINA GRATIA*

AUTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI IURISCONSULTORUM ORDINIS

IN CELEBERRIMA ROSTOCHIENSI ACADEMIA

SUB PRAESIDIO

**DN. IOHAN. PETR. Schmidt,**

V. I. D. ET COD. PROF. PUBL. ORD. FACULTATIS IURIDICAE H. T. DECANI

*PRO LICENTIA*

SUMMOS IN UTROQ. IURE RITE CAPESSENDI HONORES

ANNO O. R. cIↄ Iↄ CC XLI. d.     MARTII.

*H. L. Q. C.*

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT

**THEOD. AUGUSTIN. HOLSTEN,**

RIBNIZIO MECKLENBURGICUS

IUR. CAND.

*ROSTOCHII*, LITTERIS IOAN. IAC. ADLERI,

SERENIS. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-692419-p0003-0

*VIRO ILLVSTRI, GENEROSISSIMO DOMINO,*

DOMINO

# THEOD. FRIDERICO DE SMITH,

SACRÆ REGIÆ MAJESTATI SVECIÆ,
NEC NON
SERENISSIMÆ DVCI MECKLENBVRGICÆ
AC
LANDGRAVIÆ HASSIÆ
*A CONSILIIS*
CANCELLARIÆ AC AVLÆ, LONGE GRAVISSIMO,
ITEM
SERENISSIMI DVCIS MECKLENBVRGICI
*CONSILIARIO CANCELLARIÆ,*
CVRIAEQVE PROVINCIALIS CAMERALIS
INTIMO,
COMITI PALATINO CÆSAREO,
PRÆFECTVRARVM DVCALIVM BVZOVIENSIS AC SCHWAANENSIS
PRÆSIDI,
*GLORIA MERITISVE CELEBERRIMO,*
DOMINO MECOENATI
AC PATRONO SVO
OMNI SVBMISSIONE, REVERENTIA, OBSEQVIO ÆTATEM DEVENERANDO, COLENDO AC PERSEQVENDO,
PRO
INNVMERIS IN SE COLLATIS GRATIAE AC BENEVOLENTIAE INSIGNIBVS

*DISSERTATIONEM SVAM INAVGVRALEM*

IN SIGNVM

MENTIS ILLARVM MEMORIS, PIETATIS, ANIMIVE DEVOTI

CVM

ARDENTISSIMA PERPETVÆ INCOLVMITATIS, AC OMNIGENÆ PROSPERITATIS AD SEROS VSQVE ANNOS APPRECATIONE

DARE, DICARE AC CONSECRARE VOLUIT

NOMINIS TANTI

CVLTOR ADDICTISSIMVS, OBSERVANTISSIMVSQVE

THEODORVS AVGVSTINVS HOLSTEN.

# INGRESSVS.

NOn pruritus quidam ſcribendi, nec inclareſcendi inter eos, qui juridicas tractarunt materias, ſtudium; ſed ſubmiſſiſſima, me juſſui Patrum Patriæ, conformandi neceſſitas, diſputationem hancce a me exegit. Quandoquidem enim praxi forenſi vitam meam addixi, & *ILLVSTRISSIMORVM JVDICIORVM MECKLENBVRGICORVM* ſtylus notoriiſſimus requirit, quod illi, qui in numero Advocatorum Ordinariorum eſſe cupiunt, gradu Doctorali condecorati eſſe debeant, a conſcriptione diſputationis inauguralis eximere, memet haut potui. Veniam ergo æqui, laboris mei cenſores ex hac ratione, credo ſufficienti, dabunt, ſi minus limata legerint. Ipſe ſatis rigidus mearum poſitionum cenſor ſum, bene mecum habitans

 & agno-

& agnoſcens, quod hoc genus ſcribendi haud parum ab eo, cui per annos, quos in tritura forenſi conſumſi, aſſvefieri debui, ſit diverſum. Diſputatio conſcribenda fuit, & credat gratioſus, atque benevolus Lector, quod ante concluſionem in cauſa, multum mecum de themate diſputaverim. Soepe enim incidens in quandam materiam, mihi haut diſplicentem, poſt circumſpectionem ſenſi veritatem vulgati: *Nihil dicitur, vel ſcribitur, quod non dictum, vel ſcriptum eſſet prius.* Sœpe difficultas,& alia thematis ſeſe offerentis conditio obſtitit. Verum capiendus fuit animus, & ſcribenda fuerunt quædam ſcopo meo inſervientia. Quæ,ſi Benev. Lectoribus,qui idem ſtadium, quod ego nunc decurro, cum gloria jam emenſi ſunt non facerent ſatis, tamen erunt talia, quæ conanatum probabunt. Diſſeram autem, quod DEVS T. O M. benevertat; *de præſtatione ratæ, ſpeciatim fidejuſſorum Mecklenburgicorum vigore Art. XXVI. Reverſalium de anno MDCXXI. vulgo:* **von Erlegung eines, oder ſeines Strangs.** Non autem licuit per rationem temporis, meo themati condecentes & artificiales ponere limites, atque ſectiones. Scribam idcirco ordine arbitrario, quæ meditatio & ingenium ſuggerit. Faxit DEVS, ut omnia ſuccedant feliciter!

TRA-

# TRACTATIO.

## CAP. I.

## CONTINENS GENERALIA.

### §. I.

NOminum prius habendam eſſe rationem, quam rerum, ipſe quidem Imperator commendat *arg. l. 1. pr. ff. de juſt. & jur. l. 1. §. 1. ff. de pact.* At enim vero tunc vocum evolutione opus haut eſſe, putaverim, cum verba, quibus utimur, nec ſunt nova, nec obſcura vel ambigua. Quamobrem, quoniam hujus diſſertationis rubrum notiſſima continet vocabula, explicatione eorundem recte ſuperſedeo. Quid enim ſit: *præſtare*, quid! *rata*, quis eſt, modo latina intelligat & quæſtiones juridicas formare didicerit, qui neſciat? Nec vacat, ut multis inquiram, unde vox: rata, etymologice ſpectata, deſcendat. Disquiſitionem potius hanc illis relinquo, qui ſtudio Etymologico delectantur, & ſubſcribo Lexicographis, qui per excerpta ex *autoribus claſſicis* probare ſolent, quod *rata* a voce: *ratio* derivetur, & terminus *pro rata*, ſcilicet *parte*, idem ſignificet, ac pro ratione, vel habita ratione proportionis! Interim tamen vellem ad manus mihi fuiſſent FRANC. ANTON, & JO. BAPT. COSTA qui *de portione rata; & de quota & rata*, libros ante ſeculum editos compoſuere, ſed copia inſpiciendi eosdem mihi non eſt facta, hinc Autores conſulere debui, qui de correali obligatione ſcripſerunt: Verum videbit Benevolus Lector, quod nullo eorum abuſus fuerim, nec e papyro in chartam huc transſcripſerim. *Quid rata vi vocis.*

§. II.

## § II.

*Cur dicatur ein Strang.*

Neque phraſis vernacula: ſeinen Strang erlegen; obſcuritate laborat. Vti enim in ſenſu *proprio*, elocutiones iſtae; ſeinen Strang ziehen, alle Stränge anziehen, actum quendam inſinuant, quo res molis alicujus, fune *plus uno*, vel protrahuntur vel in altum feruntur, ita etiam a genuina hacce ſignificatione translatae ſunt ad alia, tantum non omnis generis negotia; ad quae expedienda, plures perſonae una concurrentes, *pro ſua* quisque *ſeparata* portione, ſtudium operam & quae alia conferunt. Indeque vocabulum Strang, latiſſimae eſt acceptionis, atque in ſenſu figurato *quamcunque* denotat *portionem*, praeſertim in materia pecuniaria, qua hoc ſignificatu frequentatur. Et hac ratione phraſis haecce: ſeinen Strang erlegen, cum imprimis verbum: erlegen, proprie de *nummorum praeſtatione* praedicetur, nihil aliud involvit, quam: *ſuam ſolvere partem*, ſive ſuam, prouti *aequabilis partitio* poſtulat, pecuniae debitae numerare quotam.

## §. III.

*Quid rata.*

Sua ſponte ex antedictis jam pateſcit, quod *praeſtatio ratae* rectius deſcribi non poſſit, quam per *PARTEM ISTAM, QVAE CVIQVE CONTINGIT*; ſo viel einem jeden zu kömt, ſo viel eines jeden Antheil, oder Strang austräget. Quoties ergo ſermo eſt de ſolutione partis, iis praeciſe caſibus, quum duo pluresve, vel *apparenter*, vel *vere* quidem, ſed *eventualiter* tantum, pro obligatis *in ſolidum* reputentur, toties quaeſtiones de *praeſtatione ratae* emergunt. Id quod adeo eſt luculentum, ut, niſi cum curia loquendum eſſet, ipſum iſtud *beneficium diviſionis* haut in concinne per exceptionem ratae poſſit efferri. Caute interim, quod in tranſitu dictum volo, & cogitate, diſtinctione iſta uſus ſum, inter *apparenter* & *eventualiter* obligatos. Nam exceptio diviſionis quidem interdum in vim *ſimpliciter peremptoriae*

*emptoriae* obmoveri poteſt, ſed ſoepius tamen vim tantummodo *mixtae* habet, non omnem, *eventualis* praeſtationis *in ſolidum* formidinem excludens. Suaſor quamobrem eſſem, ut exceptio, quam priori caſu fidejuſſor opponit, nomen *ratae* induat, & poſteriori tantummodo caſu *diviſionis* nomine inſigniatur. Obligatio ad ratam enim, obligationem *in ſolidum* in totum reſpuit; quum e contrario a diviſionis exceptione ad obligationem in ſolidum, *plane peremtam*, non ſemper valeat conſequentia, & potius, ad oppoſitam iſtam exceptionem actor regulariter replicare ſoleat; Er acceptire, als ein gerichtliches Geſtändnis quam utiliſſime, daß pars adverſa ſeine Verpflichtung überhaupt, zu leugnen nicht begehre, und nur vermeine, ſich vor der Hand mit der Exceptione diviſionis zu ſchützen. Sed quicquid hujus rei ſit, in verbis novis recipiendis non adeo ſumus faciles, & in locutionibus uſus etiam Tyrannus eſſe ſolet.

## §. IV.

Ad quæſtionem: *quotuplex* ſit rata? reſpondendum eſt: quod ſit *duplex*; rata nempe *pecuniæ*, & *temporis*. Pervulgata hæc eſt diſtinctio, & ſæpe ſatis dicitur, quod aliquid præſtandum ſit pro rata temporis. Tunc nimirum, quando obligatio in longius determinata, abrumpitur per circumſtantiam incidentem. At enim vero, quod hoc caſu in vernacula, vox: Strang, conſuetim haut uſurpetur, vel, nemine admonente, ſentient prudentes. Nam ſi dicendum quod res eſt, ſenſus verborum figuratus, ex comparatione rei erga rem deſumtus, maximam partem hîc jure applicationis deſtituitur. *Diviſio ratae.*

## §. V.

Affinitatem cum rata habet idea *quotæ*, *portionis*, & *quantitatis concurrentis*. Quota autem eſt pars totius, præſtandi a pluribus, maxime in cauſis contributionum. Exulat circa illam omne periculum obligationis in ſolidum, *Affinia ratæ.*

quamvis haud raro portio *deficientis*, *exempti* vel *immunis* accreſcat reliquis cum omni onere. Conſultiſſimum tamen eſt, ne facile civium quisquam eximatur, quum variæ ſinde naſcantur anomaliæ. Sed de his alibi dicitur, & largiter materiam de Exemtione, præſertim in Imperio Rom. Germ. exhauſit VIETOR *tractatu de Exemtionibus*.

## §. VI.

*Quid portio*

Portio eſt vocabulum notiſſimi ſignificatus, & in materia hereditatum familiariſſimum. Quem enim fugit definitio legitimæ per *portionem*, *portionis* ab inteſtato debitæ? & caſus iſti frequentes in doctrina juris accreſcendi, quibus pro ratione quanti, uni vel pluribus accreſcentis, *portiones* certæ conſtituuntur.

## §. VII.

*Quid quantitas concurrens.*

Quantitas concurrens eſt numerus ex diverſis ſummis, altera majori, altera minori, eo loco, quo minor deſinit, conſpirans. Hinc vulgata eſt dictio: *pro quantitate concurrente*; e. gr. in materia compenſationis, ubi non requiritur, ut quantitas utriusque debiti conſonet, ſed extinguitur potius obligatio quoad concurrentem ſummam. Majori enim ſummæ minorem ineſſe recte dicitur, adeo ut is, qui centum debet, etiam debeat quinquaginta. Quoties ergo, utile per inutile haud vitiari, pronunciamus, toties etiam verſamur quaſi in conceptu quantitatis concurrentis, e. gr. in donatione, ultra quantitatem legalem 500 ſolidorum, absque inſinuatione facta, Quantitas concurrens eſt in lege, quoniam illa, ne ulterius numeremus, prohibet.

## §. VIII.

*Occaſiones quæſtionum ratæ.*

Satis de verbis & vocibus. Jam ergo ad realia, quibus tamen aliqua ex hactenus dictis lux accenditur, pergendum eſt. Omnium ſuprema merito eſt aſſertio: Quod

Quod quæſtiones de præſtatione ratæ, tunc demum emergant, quando ſermo eſt vel de *vera, attamen eventuali tantum*, vel de *apparenti*, *IN SOLIDUM* obligatione. Quare de correali obligatione ſollicite circumſpiciendum nunc erit. Perplexa eſt doctrina, qua de eadem utuntur Doctores utplurimum. Et recte eſt obſervatum in *SELECT. JVRID. ROST. Spec.* 30. *qu.* 3. *quod hic paſſus juris aliquid vitii per Logomachiam contraxerit.* Ipſa huc ſpectantia verba, & quæ huc transſcribere placet, ſequentis ſunt tenoris: *Fluctuant nonnulli Interpretes, exponentes titulos & materiam de duobus reis: nos putamus quod inconſtantes aſſertiones oriantur ex definitione reorum, quippe quæ ita fieri ſolet, ut obligati in ſolidum eo nomine veniant. Forte juvat diſtingvere inter correos in ſenſu Juridico & in ſenſu Grammatico. Si e. g. A. & B. ſunt fidejuſſores pro C. reſpectu creditoris ſunt duo rei, ſed alter non tenetur pro altero: Si D.* 100. *promiſerit E & F, neuter horum totum exigere poteſt. Tribus: nulla datur obligatio in ſolidum, niſi ſit expreſſe talis; Et quamvis ſit expreſſa, tamen datur exceptio diviſionis, ad effectum excuſſionis, correo, & non niſi in ſubſidium tenetur alter pro altero, niſi & huic renunciatum.*

## §. *IX.*

Inſpiciendi quamobrem in his Doct rum divortiis, ſunt ipſi fontes, & ſobria conſulenda praxis, quo omnis tollatur litigatio. Sedes materiæ eſt in *Libr. IIItio Inſtit. tit.* 17, *de duobus reis ſtipul. & promittend.* Item; *In Lib. XLV. Digeſtorum tit. 2do de duobus reis conſtituendis*, & *Lib. VIII. Tit.* 40. *Codicis de duob. reis ſtipuland. & promittend.* Et, quo brevibus nos expediamus, haut abs re erit, fundamenti loco regulam hîc ſupponere, quam *ILL. DN.* HEINECCIVS in ſolidiſſimis *Juris Elementis* §pho 840. ex his fontibus, lege ſpeciatim II. §. 1. & 2. *ff. de duobus reis conſtit.* ſequentem in modum formavit: *SI DVO* inquit, *PLVRESVE PROMITTVNT, VEL DVOBVS, PLVRIBVSVE PROMITTITVR, SINGVLI PRO PARTE ET OBLIGANTVR, ET JVS EX EA STIPVLATIO-*

*Natura rataæ & obſtantis in ſolidum obligationis.*

*LATIONE ACQUIRUNT.* Verum, uti exinde apparet, nullam dari obligationem in ſolidum in regula, ita tamen res ſuam patitur limitationem, ſuam exceptionem. *Quod ſi enim*, ut iterum verbis *ILL.* HEINECCII utar in *Spho* 841. *cit. loc. qui promittunt, ſunt rei promittendi obligatio inter eos non eſt diviſa, ſed ſinguli in ſolidum tenentur per* §. 1. *j.* & *l.* 2. 3. §. 1. *ff. huj. tit.* Et idem inculcat *JCtus conſummatiſſimus, Dominus* BOEHMER, *Patronus, olimque Præceptor meus venerabilis,* qui in jure digeſt. *tit. de duob. reis conſtituend.* §. 1. ita ſcribit: *Plures contrahentes in eodem negotio, ORDINARIE PRO RATA tantum obligantur, niſi res in obligationem deducta ſit individua, vel lex aliud conſtituat; vel, uti* §. *ſeq. V. pergit, de animo correalem obligationem conſtituendi conſtet, per l.* 3. *pr. de duob. reis, qui in dubio non præſumitur* juxta *l.* 11. §. 1. 2. *ejusd. tit.*

## §. X.

*Continuatio.* Qua applicationem ad ſtatum modernum itidem omnem hic facit paginam modo laudatus DN. HEINECCIUS: *Hodie ſine interrogationis, & reſponſionis ſolennitate* inquit §. 845. *correi promittendi fiunt, qui eidem eandem rem IN SOLIDUM* (ergo in regula obtinet contrarium) *promittunt. Rei ſtipulandi, quibus idem in ſolidum promittitur*; v. g. verbis: Alle vor einen, und einer vor alle: Allen vor einen, und einem vor alle. Ergo, niſi ſpecialis ejusmodi obligatio acceſſerit, ſemper & in omni caſu, in vim peremptoriæ, locum habebit exceptio diviſionis, vel potius ratæ, ſi quis *pro ſolido* forte pulſaretur.

## §. XI.

*Aſſertiones fundamentales.* Dixi: Peremptoriæ. Nam non eſt illis caſibus exceptio diviſionis de genere mixtarum, ut audiunt; quibus nempe tamdiu utimur, donec alter ſit excuſſus. Vti clarius hoc reddetur, ſi modo tres caſus, qui circa correalem obligationem obveniunt, probe conſiderentur, & accurate ſecernantur I.) dantur correi, ita obligati in ſolidum, ut

*PLANE*

*PLANE VTI NON POSSINT EXCEPTIONE DIVISIONIS.* II.) Alii ita ſunt correaliter obligati, ut *PRO TEMPORE* poſſint obmovere exceptionem diviſionis, cum formidine tamen, quod in fine poſt replicam: *excuſſus eſt* confidejuſſor, redeat actio. III.) Alii tantum *GRAMMATICE* ſunt correi, i. e. duo una contraxerunt, & hi, diviſionem *peremptorie* allegant.

## §. XII.

Ex his ita præſtructis, omnibus credo, perplexitatibus conſuli, & præſertim *Epiſtolæ* D. HADRIANI, item fluctuanti explicationi *l.* 11. *pr. ff. de duob. reis*, & *Nov.* 99. *C.* 1. medelam afferri poſſe. Omnia enim redeunt ad tres claſſes jam jam factas. Tertia fit, qua præſumtionem juris & hominis de ipſo modo & gradu obligationis, prior; Et prima fit tertia. Hoc eſt: Judex ſententiam pronunciaturus, tamdiu præſumit pro obligatione confidejuſſorum *partita*, donec de obligatione in ſolidum edoctus fuerit, & hac quidem probata, exceptionis tamen diviſionis, ad effectum *excuſſionis correi* rationem habere debet, quoad *jure communi*, de facta, hujus beneficii, renunciatione, & Praxi patria, de renunciatione inſuper beneficiis *ſtyli curiæ*, legaliter convictus fuerit. *Continuatio.*

## §. XIII.

Facili nunc opere etiam ex his, quae de obligatione *duorum* uni vel *vere*, vel *apparenter* tantum facta, in ſuperioribus ſunt adducta, explicari poteſt: quid juris ſit, qua obligationem *unius* erga *duos*. Stat enim ſuperior regula ex *l.* 11. §. 12. *ff. de duob. reis* confecta: *Si duobus, pluribusve promittitur, SINGVLI PRO PARTE, jus ex ea ſtipulatione adquirunt.* Et haec regula adeo eſt firma, ut naturalis ratio vix ullam admittat exceptionem. Si enim e. gr. quis dixerit: vobis duobus promitto 100 thaleros, neuter ultra 50 exigere poteſt. Et, ſi alterutri dediſſet centum, dabitur tamen alteri *De obligatione unius erga duos.*

adverſus promittentem actio ad 50. Sed finge, dixiſſet: Ich ſchencke euch 100 Rthlr. allen für einen, und einem für allen, quid tum ſtatuendum? Reſpondeo: Hujusmodi caſus non facile obveniet; & pone; obveniat; tamen praeſumendum eſſet, non aliud intendiſſe contrahentes, quam ut pro rata teneatur promittens & plus centum thaleris, rei ſtipulandi, exigere haud poſſint. Quicquid ceterum eſt logomachiæ in hac materia, maximam partem oritur ex abuſu vocis: *Correus*, & ex minus accurato conceptu *ſtipulationum Romanarum*. Semper Jure Romano ſtipulatio ab eo incipere debebat, cui aliquid dandum, vel praeſtandum erat. *l.* 35. *§.* 2. *ff. de Verb. obligat.* Et, duo pluresve rei ſtipulandi ita fiebant, ſi poſt omnium interrogationem promiſſor reſpondebat, *ſpondeo*; ut puta, cum duobus ſeparatim ſtipulantibus ita promiſſor reſpondebat; *Vtrique veſtrum dare ſpondeo.* Nam, ſi prius Titio ſpoponderat, deinde alii interroganti ſpondebat, alia atque alia erat obligatio, nec credebantur duo rei ſtipulandi eſſe, PR. *Inſt. de duob. reis ſtipul. & promittend.* Verum moribus noſtris ſoepe promiſſiones incipiunt a daturo, & tantum acceptatio requiritur, alterius partis. Facile quare eſt ad intelligendum, quod duobus acceptantibus promittens e. g. *centum*, ſingulis ſaltem pro dimidia teneatur parte.

## §. *XIV.*

*Præſumtio perpetua contra ſolidum.*

In negotiis *inter vivos*, abs his aſſertionibus non erit recedendum, & quamvis, qua actus *mortis cauſa* aliud ſtatuendum eſſe videatur, uti ex doctrina de collegatariis, re conjunctis, apparet: ſufficere mihi tamen poteſt, quod ſecundum priora, obligatio in ſolidum regulariter non praeſumatur. Speciatim in Germania, ad planiſſimum verborum, quibus promiſſores uſi fuerunt, ſenſum reſpicimus. Si, verbi gratia, dixerint: Wir wollen ſolches leiſten, wir ſind gut davor &c. quilibet tantum tenebitur pro rata. Captatio enim vocis: Wir; non operatur obligationem in ſolidum

ſolidum. Porro, ſi dixerint: Wir ſtehen für einen Mann; vel: wir alle vor einem, und einer vor alle, mit geſampter Hand, ſamt und ſonders, & quae reliqua hic obligationis hujus eſt effectus, quod, ſit venia voci, *finaliter* demum, obligati eſſe velint in ſolidum. Hincque exceptio plurium intereſſentium tamdiu locum habet, donec probatum fuerit, ejusmodi unum alterumve promittentium, uſum fuiſſe locutionibus, quae illam exceptionem plane reſpuant. Exempli gratia. Er ſehe lediglich auf mich allein, wer ihm unter uns der beſte deucht, mit dem ſoll er über das gantze zu thun haben. Bonis: haut praeceps quidem ſit judex in eruenda obligatione in ſolidum; nec tamen ſit moroſus nimis & difficilis.

## §. XV.

Magis in his aſſertionibus ſecutus ſum naturalem rationem, quam locutiones Doctorum, mecum in effectu conſentientium. Mores Germanorum a jure naturae, & gentium non recedunt; & quamvis Romani, qua ipſum ſtipulationum robur, deſeruerint ſimplicitatem juris uniuerſalis; tamen in quaeſtionibus de correali obligatione vix quidquam a nobis diſſentiunt, modo rite intelligantur. Interim B. STRYKIVS legi hic meretur, qui in *Caut. Contr. Sect. II. Cap. V.* §. 11. omnino mecum conſentit, etiamſi ex lege, quam allegat, *ſecunda* §. 4. *ff. de eo quod certi loco* probandum vix probari poſſit. Facit huc quoque B. SCHOEPFERVS in ſua ſynopſi, *tit. de duobus reis conſtit.* qui *num* 3. *ſequent.* bene diſtinguit inter *correos*, & *duos promittentes*, & *ſtipulantes*. Et quamvis obſcure nimis alii loquantur, celeberrimi ceteroquin viri, tamen in effectu non ſunt diſſentientes. Conſulantur ceterum interpretes titulorum Codicis & Digeſtorum de duobus reis conſtit. & maxime Novellae 99. Cap. *I.* Haut parum quidem ſuper vero ſenſu novae hujus conſtitutionis fluctuant, ſed tu vide BRVNNEMANNVM *ad dict. tit.* CARPZOV. *P. II. Cap.*

*Continuatio ex conſenſu Doctorum.*

17. *de*

17. *def.* 13. &, qui errorem Doctorum communem notat, ad DN. ESTOR in animadverſionibus ad §. 847. *Ill.* HEINECCII element. Juris civilis. Si quoque dicendum, quod res eſt, cauſa omnis ad tres poſitiones redit: 1) Praeſumtio eſt contra obligationem in ſolidum; 2) Interdum ex pacto veritas vincit praeſumtionem; 3) Tunc tamen jure novo datur nihilominus exceptio diviſionis ad tempus. Sed quid tunc! ſi citra aliud obligationis in ſolidum vinculum huic Novellae renunciatum ſit per expreſſa verba? An non vi hujus renunciationis talis producitur ſtatim correalis obligatio, quae nullam patitur exceptionem. Ego puto, quod ſic; etiamſi MEVIVS contrariam foveat ſententiam in *Deciſionibus* P. *VI.* *D.* 113. autoritatem ſequens ZASII, qui *libr.* 1. *Conſ.* 12. *n.* 65. ſtatuit, quod clauſulae contractibus ad ſcriptae, magis ex conſuetudine, quam ex mente contrahentium praeſumantur ſcriptae. Nam hac ratione, ſi ZASII opinio praevalere deberet, lites ex lite ſemper naſcerentur, conciderent iſta regula, quod ſubſcribens contenta omnia approbaſſe cenſeatur, & plerique in firmarentur contractus, qui certe abs omnibus contrahentibus ſcribi nequeunt. *Conf.* *l* 8. §. 15. *Pandect. quib. mod. pign. vel. hypoth. ſolvitur*, & omnino *Ill.* LEYSER in *Medit. ad ff. Spec.* 278 *medit.* *I.*

## §. *XVI.*

*Continuatio.* Quod supereſt, putarunt nonnulli, in ipſa ſignificatione grammatica vocis: *CORREVS*, eſſentialiter fundatam eſſe obligationem in ſolidum. Provocant pro ſtabilienda ſua opinione ad *L.* 3. *ff.* §. 3. *de Liberat. leg.* ubi expreſſe legitur vox *Con-reus.* Sed fallit haec argumentatio. Nullo enim caſu ex praepoſitione iſta *Con*, mutata eadem nonnunquam Euphoniae gratia in *cor*, ad jus & facultatem quandam, in ſolidum competentem, concludi poteſt, uti etiam per inductionem patet. Sic enim con-dominus, non eſt dominus, in ſolidum; Sic Con-Rector, conſors, compoſ-

compoſſeſſor &c. non ſunt poſſeſſores, Rectores abſolute tales, ſed ipſa, illius praefixi virtue, arcentur ab affectatione totius. Definitio ergo correi in jure Romano eſt violenta, & mere civilis. Et, ſi quis putaverit, in deſignatione duorum reorum, meliorem eſſe *ſolidi* ideam, is plurimorum conſenſu graviſſime erraret. Hinc doctorum quidam ad evitandas has obſcuritates, correos, & duos reos ſibi invicem opponunt, ceu de B. SCHOEPFERO ſupra jam eſt notatum. Alii vero per alias diſtinctiones adjuvare voluerunt; inter obligatiouem correalem diſtinguentes ex cauſa *lucrativa*, & *ex oneroſa*, item inter correos *in ſocietate*, & *ſine ſocietate*: ſed rem magis implicatam reddiderunt, quam explanarunt. Et miranda ſunt cetera iſta Doctorum litigia ſuper conceptibus & diſtinctionibus correalis obligationis, quae recenſet FROMMANN *in diſſert. de Corroali obligatione*, addens tandem, quod ad abſurdum uſque hac de re litigaverint. Tot certe diverticulis res non indiget, ſed praeſuppoſita regula certa, vel inſpecto tenore verborum, deciſio erit in promptu, adeo, ut raro, imo rariſſime evenire poſſit caſus, in quo ad juratam verborum, animique, interpretationem confugere ſit opus.

## §. XVII.

Ipſa ergo doctrina correalis obligationis non tam per ſe eſt obſcura, quam obſcurata ſæpius per eos eſt, qui minus accurate in explicanda eadem verſati ſunt. Sed obſtare in genere aſſertis meis videtur *lex* 5. §. *fin. ff. commodat*: in qua, duos, quibus vehiculum commodatum, vel locatum, *ſimul* teneri *in ſolidum*, diſponitur. Neque, difficultate quadam hanc legem laborare, diffitendum eſt, quum etiam, BRVNNEMANNO teſte, in *Commentario ad ff. h. tit. n.* 25. multa circa hanc legem tricetur & moveat MOLINÆVS *in tr. de div. & individ.* Verum, modo rationes, ipſæ item diſtinctiones, quibus CELSVS in hac lege uſus *Explicatur l. 5 §. fin. ff. commodat.*

eſt, examinentur & expendantur, omne dubium facile removebitur. Diſtinguit nimirum *Celſus* inter *obligationem PRIMITIVAM*, quæ initio ad rei reſtitutionem contrahitur, &, hujus ratione, quemlibet pro parte tantummodo teneri, ipſe conſtituit. *Verum in vehiculo*, inquit, *commodato vel locato, pro parte quidem effectu* (evectionis ſc.) *me uſum habere, quia non omnia loca vehiculi teneam.* Conf. etiam *l.* 21. §. *ult. eod.* &, in, *obligationem SECUNDARIAM*, quæ contrahitur ex poſt facto, ratione doli vel culpae. Et hoc caſu *verius eſſe* ait, *& dolum & culpam & diligentiam & cuſtodiam in totum me præſtare debere, quare duo quodammodo habebuntur.* Hinc, qua obligationem primitivam, dicendum erit omnino, quemlibet tantummodo pro ſua teneri rata. Præſertim quum accedat, quod in dubio contra actorem ſit pronunciandum, & eum, qui clarius loqui debuiſſet. Ne dic hoc exemplo utrumque conductorem jurare facile poſſe, daß er keine andere Meinung gehabt, als nur, für die helffte Miethe einzuſtehen, und gehalten zu ſeyn.

## §. XVIII.

*Diſtinctio obligationis qua dolum & culpam & qua alia præſtanda.*

Satis itaque ſalvata eſt mea opinio. Lex enim loquitur tantummodo de præſtatione doli & culpæ; Quis autem dubitaret, plures commodatarios, vel conductores teneri *omnes ac ſingulos* ad idem, *qua bonam fidem, diligentiam & cuſtodiam*, ut loquitur textus. Etiamſi decem commodato acceperint unum vehiculum, vel conduxerint unam domum, quilibet tamen pro damnis, rei a ſe illatis, tenebitur in ſolidum. Tota hæc *lex* 5. *ff. Commod.* habetur quaſi pro ſede doctrinæ, de doli & culpæ præſtatione. Vid. Doctores quosvis & in ſpecie B. SCHOEPFERUM *in ſua Synopſ. ff. dict. tit.* Ergo non eſt faciendus ſaltus ad alias obligationes ex contractu ipſo reſultantes. Salvæ indeque manebunt regulæ præſtructæ, concludendumque ex his eſt ad caſus obvenientes. Claudat tandem hoc

caput

caput BRVNNEMANNVS ille pius, qui ad hanc legem Vtam ita commentatur: *Plures commodatarii rei unius individuæ teneντur in ſolidum, ratione culpæ & cuſtodiæ, ſi ſcilicet uterque culpam commiſit, aut ſi unus principalis cauſa damni, alter autem in culpa omiſſionis ſit, & potuerit cavere, nam ſi alter innocens, plane non puto, innocentem conveniri poſſe.* MOLINÆVS *tr. cit. n.* 149.

# CAP. II.

## EXHIBENS QVÆDAM SPECIALIA.

### §. I.

HÆc erunt generalia. Jam mea tractatio ſe vertit ad ſpecialia nonnulla, tam de *datione*, ſive præſtatione ratæ, quam de *acceptione* ratæ, & de *jure* ratæ in *criminalibus*. Ordinem in hoc breviori ſcripto nemo accuſabit; Facile enim & uno quaſi intuitu ſe exhibent omnia. Caſus civiles autem ſunt maxime, vel in materia *conventionum*, vel *ultimarum voluntatum* quærendi. Sed antequam pedem ad ipſam, eorundem recenſionem promoveam, haud immerito tangenda eſt quæſtio hæcce practica; Vtrum regula: *Obligationes & activæ & paſſivæ ſunt ipſo jure inter cohæredes diviſæ*; per pactum contractui his verbis adjectum: Ich N. N. bekenne für Mich, und meine Erben ... und zwar ſollen dieſelbe und einjeder inſonderheit vor voll, oder in ſolidum verhafftet ſeyn; infringi poſſit, atque tolli? Negativam tenent MEVIVS *P. V. Dec.* 66. CARPZOVIUS *P. III. D.* 252. BRVNNEMANNVS *ad l.* 56. *n.* 1. *ff. de V. O.* alii. At affirmativam defendit STRYKIVS *in opere commendatiſſimo de cautelis contractuum Sect. III. Cap. IV. de diviſione hæreditat.* §. 6. *ſeqv.* Quantum ad me, non placet quidem hoc loco ſub incudem vocare ipſa argumenta, abs utraque parte

*An hæredes ex pacto in ſolidum obligentur.*

in medium prolata, ſed ingenue tamen fateor, quod Mevio ceterisque ſubſcribam, qui, in ſolidum obligari poſſe heredes, negant.

## §. II.

*Quid juris in mutuo.*

Præmiſſis his, conſequens jam erit, ad ipſos propius accedere caſus, in quibus, juris ratæ aliqua habenda eſt ratio. Primo itaque loco occurrit *MUTUI* contractus. Dijudicanda nimirum eſt quæſtio: Num ſcilicet in caſu iſto, quando duo vel plures debitores his verbis ſemet obligaverint. Wir Endes unterſchriebene A. & B. urkunden und bekennen; in portionem *virilem* compellari tantummodo poſſint ad ſolutionem, an ad *ſolidum* teneantur? Et nullus aſſerere dubito, creditori non integrum eſſe, niſi peculiaria pacta acceſſerint, alterutrum debitorem in ſolidum convenire; ſed, ut partem contingentem, ſive ratam a quolibet petat, obſtrictum eundem eſſe. Secus eſt in caſu, quando maritus & uxor ſemet obligaverint: Wir beyderſeits Ehe-Gatten; Nam ſic maritus omnino in ſolidum tenetur, quum per manifeſtos juris textus, uxor, quæ in uno eodemque chirographo ſe cum marito tanquam corream debendi principaliter obligavit, non obſtringatur, ſed ſubducta ea, ſolus maritus conveniendus ſit AVTH. *ſi qua mulier C. ad SCtum Vellej.* VVERNHER. *P. VI. Obſ.* 369. MEVIVS *P. VI. Deciſ.* 299. Negandum quamvis haut ſit, limitationibus haut paucis hanc theſin eſſe obnoxiam, e. gr. ſi verſio in rem uxoris probata. *Novell.* 134. *cap.* 8. ſi communem cum marito negotiationem exerceat. BRVNNEMANN *ad l.* 17. *n.* 7. *ff. ad SCt. Vellej.* & quae aliae. Ceterum, in caſu, quando duo *alternative* ſemet obligaverint, quemlibet in ſolido haerere, vel absque *leg.* 8. §. 1. *ff. de legat. I.* & AVTH. *Si quando C. de conſt. pecun.* per ſe clarum eſt.

§. III.

## §. III.

*Quid in commodato.*

Progredior ad contractum *COMMODATI.* Supra jam in ſpho ultimo antecedentis capitis enodatum eſt: *An & quatenus plures commodatarii teneantur*, & evictum dedi; quod, quoties duo vel plures ſunt debitores ſpeciei ſive individui, *ſinguli* teneantur de dolo, & illo culpae gradu, qui, per principia juris, in iſta contractus ſpecie contrahentibus regulariter incumbit. Conf. *Excellent.* DN. BOEHM. *in J. Digeſt. Tit. Commodat.* §. 17. 18. *ſeq.* Sed intelligendum hoc tantum volo, de dolo & culpa propria, non alterius vel tertii. Neutiquam enim alter ex correis illis, *grammatice* talibus, niſi reciproca fide, & in ſolidum ſe obligaverint, alterius culpam luere tenetur. Conf. DN. BERG. *Oeconom jur. lib. III Tit. 2. th 7. not* 1. Aut igitur agitur *de re ipſa* reſtituenda, aut de ejus, forte amiſſae, vel corruptae *pretio*, damnorumque *reparatione*. Et poſteriori caſu dolus & culpa tenent ſuos auctores. Priori vero omnino & per rei naturam obligatur ille, qui poſſidet rem, in ſolidum. Valet idem / qua coheredes, qui, qua *damnum* & *pretia* tantum *pro rata* tenentur per *leg.* 3. *S.* 3. *Commodat.* niſi ex unius haeredis facto agatur commodati actione, & tunc in ſolidum condemnatur, licet tantum ex parte haeres ſit *l.* 17. §. 2. *ff. Commodat.* & B. STRYCK. *C. C. Sect.* 2. *cap.* 2. §. 14. At enim vero alii atque alii nihilominus ſunt Doctores, qui longe alias hic fovent ſententias, ex quibus *ACCURSIUM* unice nominare placet, qui ſuis cum aſſeclis ſimpliciter ſtatuit, omni, niſi aliud pacto adjecto expreſſum ſit, caſu, duos commodatarios in ſolidum obligatos eſſe. *Vid. Conſult. Dn.* FROMMAN *de correali obligatione pag.* 21. qui etiam, qua ſequentes contractus multa habet, quae ferias mihi in ſcribendo faciunt. Speciatim *pag.* 13. *tract. cit.* de fideiuſſoribus, *vice mutua* obligatis, tradit fluctuantes *DDRUM* aſſertiones. Siquidem nonnulli obligationem iſtam recipro-

cam, *ipſo jure* adeſſe ſemper, ſuauiter ſibi perſuadent. Sollicitant illi §. 4. *J. de fidejuſſ.* in quo verba ita fluunt: *Si plures ſint fidejuſſores*, quotquot erunt numero, *ſinguli in ſolidum tenentur.* At corticibus uerborum non eſt inhaerendum, ſed diſtinguenda ſunt tempora, & conſulamus neceſſe eſt hiſtoriam legum. Antiquiſſimis quidem temporibus ſinguli in ſolidum obſtricti erant, quia ſinguli fidejuſſores *ſeorſim* reſpondere debebant in contractu iſto ſtipulationis, qui fidejuſſionem demum perficiebat; ſed temperarunt poſtea hunc rigorem leges, per beneficia quaedam. Et per Epiſtolam Divi Hadriani, ceu legem poſteriorem, *dividitur* inter fidejuſſores obligatio, ne *in ſolidum* conveniri poſſint. Ceſſante inſuper hodie ſtipulatione, ipſo jure quoque ceſſat regulariter reciproca fidejuſſorum obligatio, indeque §. *Inſtit.* modo citatus, ſua caret amplius applicatione.

## §. IV.

*Quid in depoſito.*

Quod porro ad contractum DEPOSITI attinet, *lex I. §. 43. ff. depoſit.* ita cauſam decidit: *Si apud duos depoſita ſit res, adverſus unum quemque eorum agi poterit. Proinde, ſi ambo dolo fecerunt, & alter, quod intereſt, praeſtiterit, alter non convenietur, exemplo duorum tutorum.* Argumentum hac lege ducitur, a duobus tutoribus, ad duos depoſitarios. Sed cave, hanc argumentationem, praeter intentionem JCti, juſto latius extendas. Nam revera depoſitarii, non omni caſu, prouti tutores quidem, in ſolidum tenentur, ſed haec ipſa lex prima reſtringit iſtam, eorundem obligationem in ſolidum, ad conditionem *doli.* Quare GOTHOFREDUS etiam, etſi *ſub lit.* S. ad *cit leg.* graviter, hocce argumentum obſervandum eſſe, commendet, non tamen ultra limites doli reſpexit. *Depoſitarii*, inquit, *plures, depoſiti in ſolidum tenentur, ſed & doli, ſi modo illi omnes dolum admiſerint, ſecus ſi onus tantum. Quarum obligationum, prior illa depoſiti, primaria eſt; ſecunda doli, ſecundaria.* Facit huc etiam *l. 15. ff. de tut. & rat. diſtrab.* in qua pro regula ponitur: *Vnusquisque doli ſui pœnam*

*pœnam ſufferat*, & argumentum deinde ad commodatarios ſit, & depoſitarios, *ſi ſc. doli ambo rei ſint*.

## §. *V*.

In clariorem adhuc lucem haec conſtituuntur per ea, quae ſub hoc §. V. ad contractum *TVTELAE* annotabuntur. Nam, uti in ceteris contractibus, in quibus ſpecialis perſonae induſtria eſt electa, quibusve fidem amici ſequimur, quales ſunt praeter *tutelam*, *ſocietas*, *depoſitum & mandatum*, quatuor nimirum iſti contractus infamantes, (quibus merito quintus, *commodati* videlicet accenſendus eſſet,) commiſſus dolus, doloſe tantummodo agentem obligat, nulla adverſus alterum doli haut participem reſervata conventione: Ita e contrario, tutela notabiliter abs regula hac recedit. Nam in hoc negotio obligatio in ſolidum tanti eſt roboris, atque rigoris, ut alter tutor, *utut doli haud particeps*, excuſſo collega, de eius quoque teneatur dolo. Nec inique hoc eſt conſtitutum, cum ſingulorum *contumacia*, ſic etiam negligentia, *pupillo damnum in ſolidum dederit*, (eleganter uti *in lege* 38 §. 1. *ff. de adminiſt. tutelae* dicitur,) & propter ipſam negotii qualitatem, quatenus *munus publicum eſt, pro indiviſo pluribus impoſitum*, periculum non poſſit non eſſe omnium commune *per leg.* 55. *pr. Eod.* Conf. etiam ZANGER *tract. de Except. P. II. cap.* 16. § 16. *ſeq. it. P. III. cap.* 19 §. 15. *ſeq.* juncta *lege* 1. *§.* 10. *ſeq. ff. de tut. & rat. diſtrab.* Nec aliud ſtatuendum eſt, ſi vel maxime tutores adminiſtrationem inter ſe diviſerint, ſive, ut unus tantum adminiſtret, vel alternis annis adminiſtratio geratur *l. fin. C. de divid. tut.* vel geſtio per partes vel regiones dividatur *l.* 3. *f. l.* 4. *ff. de adminiſt. & per tut.* Nam *indiſtincte* his caſibus pupillus ſingulos in ſolidum convenire poteſt, *l.* 2. *C. de divid tutel & l.* 1. *C. Si tut. vel curat. non geſſer.* Quid! quod ſint, qui hoc quoque caſu, cum abs ipſo *judice* diviſio facta eſt, obligationem in ſolidum defendunt, per *leg.* 51. *Pandect. de adminiſtrat. tut.* cum qui-

*Et in contractibus aliis infamantibus.*

*In ſpecie tutela.*

quibus tamen non aliter facio, ac in caſu, ſi ceteri in culpa ſint, quod collegas ſuſpectos non reddiderint. Conf. BOEHM. *in J. Dig. tit. cit.* §. 10. Et, qua tutores *honorarios*, *notitiæque cauſa datos*, idem plane valere, quod in *gerentibus* obtinet, *per l.* 3. §. 2. *ff. Ead.*, extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum. Fluit ergo ex his, jura inter tutores & mandatarios, depoſitarios, &c. non eſſe hoc paſſu reciproca, nec congruum eſſe, vel *reciproce* ab uno argumentari velle ad alterum, vel ex convenientia unius rei cum altera *in uno*, ad convenientiam *in altero*, argumentum facere.

## §. VI.

*Reaſſumtio aſſerti fundamentalis.*

Immota quamobrem manet ſententia: *Nullam dari obligationem in ſolidum, qua præſtationem doli, culpæ, mercedum pretiorum* &c. niſi ſit *expreſſe* conſtituta, vel niſi *lex*, uti in tutoribus, eam imponat, vel, niſi verſentur duo in correatu *ex delicto*, de quo infra dicendi locus erit. Quapropter ſuperſedere poſſem perluſtratione reliquorum contractuum, niſi ſingularia quædam adhuc venirent notanda.

## §. VII.

*Quid in pignore.*

Qua contractum ergo *PIGNORATITIVM*, quum duobus una eademque res oppignorata eſt, reſpectu obligationis in ſolidum ex dolo & culpa, eadem hic repetenda ſunt, quæ toties in ſuperioribus aſſerui. *LITERALIS* contractus in ſpecie hunc circulum non ingreditur, quoniam coincidit cum mutuo, & nihil fere aliud involvit, quam mutuum in ſcriptis. In *CONSENSVALIBVS*, Emtione venditione nimirum, locatione conductione, emphyteuſi, ſi de pretio, mercede & canone quæſtio fuerit, quilibet emtorum, conductorum, & emphyteutarum obligatur ad ratam tantum. Dolum vero & culpam præſtat committens, in ſolidum, id quod etiam citra abſurdum aliter eſſe non poteſt, quia de quadam, *facti* quaſi pœna agitur. In *SOCIETATE* duo ſocii ſemper habentur pro

*De contractibus aliis.*

una

una perſona, hinc de præſtatione ratæ nihil venit attendendum. Qui enim intuitu ſocietatis contraxit, non patitur, actione adverſus ſocios ſimul intentata, ut, rata ſoluta, ſe extricet unus vel alter. Conf. CARPZOV. *P. II. Cap.* 17. *Def.* 12. quamvis MEVIVS abs eo diſſentiat *ad J. Lub. Lib. III. tit.* 9. *art.* 5. *n.* 4. & 5. Qua *MANDATARIOS* diſtinguendum, utrum illis negotium quoddam, *ingenio* & *judicio* expediendum, ſit commiſſum? An vero *res quædam* concredita. In caſu poſteriori, unus obligatus pro altero non eſt ipſo jure. In priori vero, quemlibet in ſolidum de ſua diligentia reſpondere debere, proviſum eſt in *l.* 60. §. 2 *ff. Mandat.*

## §. *VIII.*

*Veritas regulæ in omnibus paſſivis.*

In reliquis contractibus, ſive ſint *veri*, ſive *quaſi contractus*, ſive *nomen* habeant vel *ROMANVM*, vel *GERMANICVM*, ſive *innominati* fuerint, perpetuum iterum dominatur principium: *Nullam dari obligationem inſolidum*, niſi vel *pacto adjecto* expreſſe recepta, vel a *legis diſpoſitione* impoſita ſit. Et, quid verbis opus eſt multis. Præſtat Lectores ad *Excell. Dn.* LEYSERVM remittere, qui *in Medit. ad ff. ſp.* 522. *medit.* 1. 2 & 3. hanc ſtruit theſin. *Vbi nec conventio, nec teſtamentum, nec delictum, nec lex adeſt, correalis quoque obligatio ceſſat, ut ſinguli promittentes partem ſaltem ejus, quod ſimul promiſerint, debeant.*

## §. *IX.*

*Nun. excipiatur Cambium.*

Et in *CAMBIIS* quoque juris communis regulam locum habere debere, expediti eſt juris, quum hæc nullibi excipiantur. *Illuſtris* quidem WERNH. *Vol. IV obſ.* 372. *ORDINATIONEM CAMB. LIPS.* allegat, juxta quam ſinguli ſubſcribentes in ſolidum condemnari debent. Attamen a jure *ſingulari locali*, valere non poteſt conſequentia ad jus quoddam *commune*. Hinc *JCTI VITEBERGENSES* apud BERGERVM *P. I. reſp.* 277. *n.* 2. diviſioni potius locum

cum inter ſubſcribentes eſſe, recte affirmarunt. Nota quidem *laudatus* modo *Dn.* LEYSERVS, mutaſſe eos deinde ſententiam, atque plures, qui cambio ſubſcripſerant *ſingulos in ſolidum*, etſi ſe ita non obligaſſent, condemnaſſe, verum ratio forſan diverſitatis adfuit, cujus FRANCKIVS aliqualem mentionem injicit *in Inſtit. Juris Camb. L. I. S. I. tit.* 9. §. *XIV.* diſtinguendo, inter plures, nomen Cambiale contrahentes *mercatores*, & *non mercatores*.

## §. X.

*Idem in activis obtinet.*

Alia jam ſe offert quæſtio, quid in caſu inverſo ſtatuendum ſit in contractibus his enumeratis; ſi nimirum *pluribus* perſonis, *unus* ſe ſe obligaverit. Et reſpondeo; in propatulo eſſe, creditores ſingulos ſingulas tantum exigere poſſe portiones. Sicuti enim dicitur: obligationes & activæ & paſſivæ ſunt inter coheredes ipſo jure diviſæ; ita nullum eſt dubium, quin e. g. pluribus mutuo dantibus, deponentibus &c. teneatur reus ad partem tantum virilem. Rectiſſime inde ex hoc principio aſſeruerunt Romani, quod in donatione, pluribus facta, obtinere non poſſit jus accreſcendi. Et, quod obiter noto, ex veriori ſententia, in ultimis voluntatibus unice, non pactis & contractibus jus illud accreſcendi obtinet. Præcipue hoc ipſum, quod de donationibus privatorum jamjam dixi, præjudicio firmat CARPZOV. *Dec. Illuſtr. P. II. Dec.* 134. ibi: Ob nun wohl die ſämtliche Geſchwiſtere, uno & eodem donationis inſtrumento begrieffen, und ihnen conjunctim die Summe Geldes geſchencket worden, daher es das Anſehen gewinnen möchte, daß ex jure accreſcendi die vacirende Antheile ihnen gebühreten. Dieweil aber dennoch das Jus accreſcendi in donatione inter vivos nicht ſtaat hat, ſo haben auch die andere Geſchwiſtere, derſelben Antheil ſich nicht anzumaſſen, ſondern ſolche bleiben der Stieffmutter Erben billig. Quæ omnia tamen longe aliter ſe habent in caſu *liberalitatis* PRINCIPVM, per *Legem unic. Cod. ſi liberalit. Imper. Socius*

*cius ſine hered., dec.*, quam ſolido Commentario illuſtravit *Dn.* MOELLENBECIVS *ſub tit. de Imperialis Liberalitatis ſocio.*

## §. XI.

Tandem, qua ratione ſibi invicem teneantur *accipientes* ad communicationem ratæ, proprie non ferit meum inſtitutum, quippe quod magis circa dationem quam acceptionem ratæ eſt occupatum. Ne tamen plane ἀσυμβόλως diſcedere videar, tribus declaro, cum iis memet facere, qui omnes correos ſtipulandi, indiſtincte pro ſociis habent, & ſemper illum, qui ſolidum accepit, cogendum eſſe cenſent officio judicis ad communicationem. Eandem æquitatem etiam ſtatuo, qua repetitionem ratæ a correo actione negotiorum geſtorum. Aliter quidem ſentiunt BOEHMER. *in J. Dig. tit. de duob. reis conſtit.* §. 12. 13. HEINECCIVS *in Element. Jur. Civ.* §. 848. Sed vid. *Dn.* ESTOR. ibidem, item: *l. 2. C. hoc tit.* & H. ad WESENB. *tit. eod.* Num. VII.

*Solidum accipiens tenetur ad ratam.*

## §. XII.

Propero nunc ad obligationem *VERBALEM*, quam *ſtipulationem* appellabant Transalpini. Et, hoc ipſo, recta ad contractum fidejuſſionis eo magis mihi ſternitur via, quo certius eſt, hanc peculiarem olim ſtipulationis fuiſſe ſpeciem, nec absque ſtipulatione celebratam eſſe fidejuſſionem. Jam vero, ſi in qua alia, certe in hac materia de fidejuſſionibus, exceptio diviſionis, & frequentatur, & multam facit paginam. Quare eandem pro ſpecialiori hujus Diſſertationis inauguralis themate conſtitui. Præſertim ob ſingularia iſta, *jura*, quae in hoc negotio, in *MEGAPOLI* ſunt conſtituta, & accuratam, ex hac ratione, merentur disquiſitionem. In anteceſſum vero, antequam ad ipſam rem principalem memet accingam, denuo repetitum hic volo; Exceptionem diviſionis, eſſe *duplicis* generis. 1) quatenus diviſio per ipſam rei naturam

*Quid juris in fidejuſſione.*

ſive *NATURALITER* competit, & 2) quatenus ex *beneficio juris civilis* reſultat. Illo caſu rectius *EXCEPTIO RATÆ* dici poteſt; hoc vero, *excuſſo altero*, vel probata difficiliori ejusdem conventione, indiviſa actio ad priorem reum redit.

## §. XIII.

Continuatio. Nec minus eadem hic ſemper applicanda manent principia, quae ſupra praeſtructa; *praeſumendum videlicet eſſe contra obligationem in ſolidum*, & diſtinguendum inter confidejuſſores *grammaticos* & *juridicos*; ſive *apparenter* ſive, *vere tales*. Jure quidem *ROMANO*, eove *antiquiori*, quivis fidejuſſor in ſolidum obſtringebatur, idque, uti ſupra jam innui, ex ratione ſtipulationis, quia olim ſinguli fidejuſſores *ſeorſim* reſpondere debebant, quo ipſo *correi debendi* fiebant. Non enim interrogabantur *plurali* numero: Vosne ſpondetis? Sed quisque *ſingulari*: Tune ſpondes, & ſic ſinguli ſingulariter interrogati, ſeorſim etiam reſpondere tenebantur: Aut igitur caſus erat de uno debitore principali, & uno fidejuſſore, & habebantur pro correaliter obligatis, & quidem adeo principaliter vterque, ut beneficii excuſſionis ſive ordinis, quod *iunioris* eſt aevi, nulla haberetur, nec haberi poſſet ratio: Aut uno plures erant fidejuſſores, & pariter ex natura ſtipulationum per ea, quae jam dixi, omnes obligabantur integre ſolideque. Nec cognita erat exceptio diviſionis, quae per ipſas reſponſiones ſeorſim a quocunque factas, & ad interrogationem *DE SOLIDO* directas, nullum unquam occupare poterat locum. Sequiori deinde tempore, ſtipulationum religione laxiore facta, verborumque ſolennibus ſublatis, temperarunt quidem leges hunc rigorem, & beneficia iſta ordinis atque diviſionis enaſcebantur. Non tamen omnibus, ſed 1) certis tantum, per leges determinatis caſibus BOEHM. *in J. Dig tit. de Fidejuſſ.* §. 15. & 18. ſuum invenire poterant locum, ſuam applicationem, & 2) ex *REGULIS*,

uti Ill. BOEHMERVS arbitratur *in J. Dig. tit. de duob. reis conſt.* §. 1. *PRVDENTIAE*, iterum introducta correali obligatione, non poterat non ipſum beneficium diviſionis obſoleſcere, *l.* 3. §. 1. *dict tit.* donec tandem per jus noviſſimum novas recuperaverit vires Conf. STRYK. *in C. C. S. II. C.* 17. §. 25.

## §. XIV.

Praeſupponit itaque, per jamjam dicta, beneficium diviſionis, ſive *EPISTOLA* iſta *DIVI HADRIANI* ſemper caſum hunc, quo, ipſo jure, partes obligatae ſunt ſolide integreque, in omnem ſummam, omne debitum. Vnde fluit, quod in contrario caſu, ceſſante nimirum *apud GERMANOS* ſtipulatione & pacto *correalitatis*, ut ita loquar, obligationes iſtae confidejuſſorum; quando duo vel plures pro tertio fidem ſuam apud creditorem interponunt, nil amplius inducere unquam, (modo objectum fidejuſſionis diviſionem recipiat, HERING *de fidejuſſoribus P. II. cap.* 27. *n.* 92 ) poſſint, quam obligationem *diviſam*, & vinculum *portionis ratae*. Adeo, ut non tam pro nuda quadam cautela ſit habendum, quando creditor admonetur: Er ſolle die Verbürgung auf die geſamte Hand der Bürgen einträchtiglich, keiner mit ſeiner Anzahl abzukommen, und loß zu werden, ſich verſchreiben laſſen, quam ſumma neceſſitas pacta hujusmodi adjecta, ſemper & omni caſu poſtulet. Aequus quare arbiter & juſtus, in quocunque obveniente fidejuſſorum concurſu, ad ipſam vinculi formam, & verborum tenorem reſpicere haut negligat. Si enim his verbis fidejuſſores, quotquot numero, ſemet obſtrinxerint; Wir wollen gut davor ſeyn, in ſolidum condemnandi non ſunt; Cum e contrario in caſu, quo quilibet *ſeorſim* interrogatur; Ob er gut davor ſeyn wolle, *ſeorſim* reſpondit: Ja, er wolle gut davor ſeyn, aliter erit pronunciandum. Multiformes ceterum ejusmodi caſus hodie quidem exiſtere poſſunt; quoniam verba qualiacunque ſtringunt, mo-

Contiuuatio.

do conſenſum duorum, vel plurium in idem placitum teſtentur. Sed in omnibus caſibus in dubio *pro fidejuſſoribus* eſt decidendum, id quod *NATURALI* aeque *RATIONI* conveniens eſt, ac juri *ROMANO*, per *leg.* 99. *pr. ff. de Verb. Cul.* &c. non obſtante iſta Paroemia: Bürgen ſoll man würgen, juri quoque *GERMANICO* convenientiſſimum.

## §. XV.

Hactenus, de exceptione diviſionis, quatenus *NARALITER* ea competit (vid. §. 12.) ſcripſi. Iam circa eandem, in quantum ex *IURE CIVILI* deſcendit, occupatus ero, ſed breviſſimis tantum. Nempe, qui in *ſolidum* obligatus eſt, in fine, *excuſſo altero*, non obſtante hac exceptione teneri ad praeſtationem *integri*, plus ſimplici vice jam innui. At enim vero nunc quaeritur: *An indiſtincte hoc verum ſit, praeſertim in caſu, quando FOEMINA tanquam correa debendi principaliter & in ſolidum ſemet obligaverit?* Et reſpondeo; quod quoad *foeminas* regula fallat. Tetigi ſupra ſub §. 2. hanc materiam, ſed non abſolvi. Addo igitur hoc loco ſequentia. Foemina principaliter contrahens, valide regulariter obligare ſe poteſt, ſed quoties pro alio intercedit, *alienam obligationem*, vel *veterem* vel *novam* recipiendo, *VEL CORREALITER SE OBLIGANDO. l. 17. inf. l. 18. ff. ad St. Vellej.* toties exceptione SCti Vellejani tuta eſt adverſus quaſcunque impetitiones. Fac igitur, foeminam huncce in modum correaliter in contracto mutuo ſemet obſtrinxiſſe. Wir Endes Unterſchriebene, ich Mevia, und ich Titius bekennen hierdurch, daß uns ❞ ❞ ❞ ſämtlich und ungeſondert, einem vor allen, und allen vor einen, und in ſolidum, Cajus vorgeſtrecket habe &c. Fac porro, iſtum evenire caſum, ut ſinguli correorum in ſolidum teneri debeant, veluti, ſi alter inops, abſens aut difficilis conventionis ſit; et arbitrandum eſt; tamen foeminam non teneri ultra *virilem* portionem. Per ipſos quidem juris textus expedita haec res eſt, ſed juvat tamen, ut MEVIUM, de viridi Praxi teſtantem, audiamus. Ita vero ille: *Mulier correa debendi, non tenetur, niſi pro parte dimidia, quia pro altera parte ſuſcipit alienum debitum, ad-*

*adeoque interceſſionis ſpecies eſt. Etſi enim correi inter ſe, vice mutua interceſſiſſe non videantur, niſi id expreſſe dictum ſit, tamen qua creditorem, quando pecunia credita pervenit ad utrumque, interceſſionis loco eſt promiſſio* pro parte, quam alius *accipit. Inde, qui intercedere non poteſt, ex promiſſis ut correus, ultra id, quod accipit, non obligatur. Et cum foeminarum interceſſiones ſint invalidae, non ultra iſtae obligantur, quam acceperunt, qua id, quod excedit, non tenebuntur.* P. 17. D. 297 Quod reſtat, alii quidem ſunt, *qui juratae* mulieris *obligationi* hoc robur attribuunt, quod excludat exceptionem ratae, ſecundum brocardicum: juramentum habet vim ſpecialis renuntiationis; verum, abs his me diſſentire, lubens profiteor. Conf. BOEHMER. *in J. Eccl. Lib. IV tit.* 24. §. 48.

## §. XVI.

Quid ceterum juris ſit circa alium caſum, qui jamjam in mentem mihi venit: *Num ſc:* quando creditor uni ex reis debendi heres exiſtat, *nihilominus in ſolidum maneat obſtrictus correus alter?* id peculiarem ad huc quidem meretur indaginem. Verum, cum hanc materiam quam ſoliꝺiſſime pro more jam exhauſit. B. HERING *in cultiſſimo opero de fidejuſſionibus*, benevolos lectores ad hunc Authorem remitto. Nam ſub *CAPITIS primi* §pho 6to, qui inſcribitur *de modo extinguendi fidejuſſionem per confuſionem*, ſtatim his erumpit verbis: *Decimo ſexto autem tollitur obligatio fidejuſſoria confuſione*, & poſtea multus eſt, in XI. caſibus, ad propoſitam noſtram quaeſtionem ſpectantibus, examinandis atque ventilandis. Si tamen in ſumma dicendum eſt, quo res omnis recidat; regulariter *correus non manet in SOLIDUM obligatus*, ſed pro reſiduo tantum, in quantum hereditas non fuit ſolvendo, conveniri poteſt. Vixque opus eſt, ut diſtinguamus, an creditor, inventarium ſuper hereditate confecerit, vel, abſque beneficio inventarii eandem adiевit. Jurata enim ſpecificatio, quae ſecundum veriorem ſententiam, inventario aequipollet, CARPZ. *P. I. D.* 25. *n.* 33. hanc diſtinctionem reſpuit. Quamvis tutius eſſe, ut conficiatur inventarium, haut negemus,

## §. XVII.

*Tranſitus ad Jus Mecklenburgicum.*

Nihil jam amplius eſt impedimento, quo minus, emenſis iis, quæ ad jus commune *ROMANUM* ſpectant, nunc preſſius, ad jus *PROVINCIALE MECKLENBURGICUM* nos convertamus. Si ullo, certe jure noſtro fidejuſſiones ſunt odioſæ, & ſtrictiſſimam inde, omni tempore, paſſa ſunt interpretationem. Teſtantur hoc antiquiſſima documenta, maxime memoranda. Probant idem R*EVERSALES PROVINCIALES* de *anno* 1621. & inveteratiſſima iſta, quæ uſu hic locorum obtinuit, obſervantia. Atque *DUO* præprimis ſunt *capita*, quæ omnem rem abunde illuſtrant. Nempe duobus, miſerabili ſponſorum periculo, proſpectum voluit *PRAXIS MECKLENBURGICA* modis, ne I) *HEREDES EX FIDEJUSSIONE DEFUNCTI CONDEMNARI POSSINT*, & II.) *quo fidejuſſores*, *LICET IN SOLIDUM FIDEM OBSTRINXERINT*, *CUM RENUNTIATIONE BENEFICII DIVISIONIS*, nihilominus tamen *præſtatione ratæ*, ihres Strangs, *ſemet liberare poſſint*. Prius membrum, cujus in art. XXV. citat. Reverſal. his verbis fit mentio: Zum Fünff und zwantzigſten wollen wir den Gebrauch des Fürſtenthums, daß der Bürgen Erben in Burgſchafften, ſo in ſpecie auf die Erben nicht gerichtet, zu keiner Zahlung verbunden, hiemit in Gnaden confirmiret, und beſtätiget haben, ſolide jam pertractavit *Conſultiſſ. Dn. D.* FRESE *in diſſ. inaugurali*, ſub Præſidio *JCti Conſummatiſſimi Dn. DOCT.* MANTZELII, hodie *ACADEMIÆ PATRIÆ*, *RECTORIS MAGNIFICI*, Fautoris, olimque Præceptoris mei, ſumme colendi, *de nexu heredum ex fidejuſſione defuncti*, habita. Quare, quæ addere poſſem, vix habeo, niſi hoc unicum, quod male dubitaverint alii; num hoc beneficium *ultra nobiles* ſe extendat; numve hicce articulus iſtas etiam affecerit conventiones, quæ *ante annum* 1621. fuerant celebratæ. Nam aliud teſtantur præjudicia *AMPISS. FACULT. ROSTOCHIENSIS*, dum anno 1616. d. 15. Jan. ad Conſultationem *Dn.* BAR-

THOL-

THOLD. *de* BVLOWEN, *Senioris* zu *Holdorff*. item, ad conſultationem *Dn*. Hans von Bülau zu Mernitz. 1617 *d*. 25 *Jan*. Dafern ihr des Mecklenburgiſchen Gebrauchs in ſpecie euch nicht verziehen, könnt ihr mit Erlegung eures Stranges, eure Hand und Siegel löſen. Et probatum idem dedit *Dn*. SIBRAND *in diſſ. de juribus ſingularibus Mecklenburgicis ſub exemplo XIV*. ubi ad hanc materiam an notavit; Anno nimirum 1612. in ædibus D. ERNESTI COTHMANNI concluſum eſſe, *SEMPER IN DECIDENDO HANC SEQVENDAM ESSE OBSERVANTIAM*

## §. *XIIX*.

Hoc vero, quod in §. XXVI. *CITAT. REVERSALIVM* memoratur, ego enucleandum mihi præfixi, & hunc in finem opus eſt, integra huc transſcribam dicti articuli verba, quæ in ipſiſſimis hujus ſunt tenoris: Wie wir imgleichen fürs Sechs und Zwantzigſte **den Gebrauch**, daß die Bürgen, ungeachtet ſie allen beneficiis und Einreden renunciiret, dennoch mit Erlegung ihres Stranges ſich entfreyen können, wo ſie ſich nicht des Mecklenburgiſchen Land- und Hoffgerichts Gebrauchs in ſpecie verziehen und begeben, hiemit confirmiren und bekräfftigen. *Vigore Reverſalium.*

## §. *XIX*.

Notanter utrumque dicitur in *LAVDATIS REVERSALIBVS*: Ein Gebrauch dieſes Fürſtenthums. Per conſuetudinem ergo invaluit utrumque, nec facilis creditu res eſt, peculiarem quandam legem publicam, qua primitus eadem fuerint introducta, extare. Poſtea vero, quantum propter penuriam ſubſidiorum, conjectura aſſequi poſſum, quum forſan ſuper *limitibus* hujus conſuetudinis multifariae litigationes & varii generis dubia exorta, Doctores quoque *Romanizantes*, qui Germanica inſtituta nauſeabant, dicam ipſi ſubinde ſcripſerint; praeſertim quoque in caſibus *transmiſſionis Actorum* judices extranei debitam ejusdem *Eſt antiqua conſuetudo.*

rationem non ſemper habuerint, eo ad *Inſtantiam ſtatuum Provincialium* deventum eſt, ut anno praeciſe 1621 certa lege ſcripta, conſuetudo haecce vetuſtiſſima corroborata fuerit, & confirmata. Ex *GRAVAMINIBVS STATVVM PROVINCIALIVM ad annum*, 1620 *ſub Num.* 4 *& inſ. Num. V.* lucem aſſerta haecce foenerantur, ſiquidem ſequentem in modum ibi verba fluunt: Ob nun wohl ſolcher Gebrauch dieſer Orten kundbahr, und in ſteter Obſervantz gehalten worden; Weil dennoch die acta, ſo öffters an frembde Orter geſchickt, und dahero zu weilen unnöthige Diſputen erreget worden, alß bäte man zu derer Verhütung, hievon etwas in offenem Drucke zu publiciren.

## §. XX.

Sed, cum porro in *PRIMAM* obſervantiae hujus antiquiſſimae, *ORIGINEM*, atque natales paulo curatius inquirendum eſt, tunc partim ad rationes confugiendum eſt *GENERALES*, partim *ſpeciales DOMESTICAS*. Illae in *inſigni* iſto *odio* radicatae ſunt, quo, ſecundum ſuperiora, Germanorum judicia tantum non omnia, in fidejuſſorias cauſas ferebantur, vi cujus dicere quoque ſolebant: Viel Leihen und Bürgen iſt eine Vergifftung des Erbtheils, und hat eine Stieff-Mutter, die heiſt: Verkauff deine Güter, die gebähret dir eine Tochter, die heiſt, gib ſie wohlfeil, die hat einen Bruder, genandt; zum Thor hinaus. HERING. *de fidejuſſ. cap. XV. num.* 13. Et quoad has, exploratum eſt ex ſeculis ſuperioribus, quod, non obſtante odio hocce, quaedam quaſi luxuria in fidejubendo hic locorum regnaverit. Pro debito, non adeo magni momenti, e. gr. quingentorum florenorum Rhenenſium, ſaepe praeter debitorem principalem, fidem adſtrinxerunt *decem*, imo *viginti* fidejuſſores, viri praediis & divite re familiari inſtructi; Dantur adhuc inſtrumenta membranacea cum appendentibus bullis cereis triginta, tot fidejuſſorum, & ultra. Et inter alia, gratioſe mihi conceſſa eſt copia, originale quoddam

chirographum inſpiciendi, quo *SERENISSIMVS PRINCEPS* de Summa, valde mediocri, plus *quinquaginta* fidejuſſoribus caverat, quodve tot appenſis ſigillis cereis, quot fidejuſſorum nominibus ſubſcriptis, erat munitum. Imo ad graviſſimas referebatur injurias, cum quis, rogatus, ut ſuam interponat fidem, repulſam petenti dare, ſibi ſumeret, & duellorum inde frequentes erant cauſae. Saepe inde in antiquis monumentis legitur: Daß jemand durch ſeine ſchwere Burgſchaften umb das Seine gekommen. Et in antiquioribus ſententiis prioritatis inter creditores, ad ſtuporem uſque leguntur debita, ex capite fidejuſſionis contracta, uti hoc ex ſententia Prioritatis, in cauſa DE PASSAV lata, abunde conſtat. Conf. omnino B. TORNOV *de Feudis Mecklenb.* P. *I. cap. III. Sect. II.* §. 10. *&* 17. *p* 456 *ſequent.*

## §. *XXI.*

Nullum itaque eſt dubium, potius in omnium incurrit ſenſus, magno ſemper fidejuſſorum numero Provinciam laboraſſe, indeque prudentiae fuiſſe, quo obices, inconſideratis ejusmodi fidejuſſionibus fuerint poſiti. At enim vero, cum *perſonaliſſimus* inde fidejuſſorum eſſet nexus, non obligans heredes: inde heredum nec poterat, nec ſolebat, in formula obligationis fieri mentio. Interim tamen alia creditores utebantur cautela, hac nimirum, ut in caſu morientis unius vel alterius confidejuſſoris, tenerentur debitores, alium ſtatim decedenti ſubſtituere. Quam optime ex *inſtrumento* LVHIANO, Roſtochii An. 1496. confecto, aſſerta haecce illuſtrantur. Nec injucundum erit lectoribus, ſi in majorem rei probationem, paſſus concernentes, ex eleganti iſto ſcripto, quod ſingulis hebdomadibus, ſub titulo: Etwas von Gelehrten Roſtockſchen Sachen prodit, excerptos adjungam. Ita enim ibidem verba ſonant: Alle düſſe vorgeſchrevene Artickels ſammeliken und eyn iſlich bey ſick, lave ick Clawes van der

*Id quod demonſtratur.*

Lů, vorgeſchreven mit mynen Erven und nahkomelingen, mit mynen trouwen hi in geſchreven medlovern alſe Juries Hoghe tho Finſtorp, Herman Roſſe tho Teßkow, Achim van der Lůe tho Kalſow, Hermen Kerckdorp tho Wobeckendorp wonhafftig und beſeten, laven wy alle Hövetmann und Börgen vorbenometh, mit einer ſamenden Handt, de mith alleme Rechte vorvolghet ſy, den vorbenomenden Heren, de und alle er Nahkömelinge alle vorſchreven Artickeln in Eedes ſtede unnd vaſt unvorbrocken tho holden an guden Loven und trouwen. Und wannere eyn, effte mehr van Uns vorgeſchreven Borgen, und medloveren Dodes halven affgingen, ſo ſchall ick Claves van der Lůe ock myne Erven und Nahkomelinge ſcholen, alſe drade idt van den bavenſchreven Heren edde eren Nhakomelingen darumme beforderth und eſchet werden, in deß und der verſtorven Borgen ſtede ander nochhafftige Borgen wedder ſetten, effte eyn breve vorſegeln, wo vaken dat van Uns geeſchet werdt, des wy alle tho groteren Lowen und mehrer Bekenntniſſe unnſe Ihnſeghele wittlicken hebben hengen hethen, boneden an důſſen open Brefe, de geven und ſchreven iß tho Roſtock, na Chriſti unſers Heren Geborth, Duſend ſöß un negentignſten Jare am Dage Sünte Nicolaus des hilligen Biſchoppes. Vid. *loc. cit. Ann.* 1739. *p.* 257. *ſequente.*

## §. XXII.

*Ex rationibus ſtatus patriae*

Imo crederem fere, his moribus majores noſtros vixiſſe, ut, ſi vel maxime heredum in inſtrumento obligationis mentionem injecerit fidejuſſor; für ſich, nempe, und ſeine Erben, tamen *ipſo jure* a nexu obligationis, immunes hi manſerint. Nam eo uſque odium iſtud fidejuſſionis per-

perruptiſſe, ut prohibitum omnino fuerit, *NE QVIS HEREDES SVOS ASTRINGAT*, & , ſi fecerit, *INVALIDVM HOC FORE*, ex variis conjecturis, non adeo vagis, vero haut eſt diſſimile. Et tantum quoque abeſt, ut haec obſervantia, pro inepta ſimpliciter & irrrationabili poſſit haberi, ut potius non omni deſtituatur aequitate. Eſt enim fidejuſſio officium ſingularis humanitatis, eligit creditor atque comprobat perſonae fidem, quae vero cum morte ejusdem exſpirat. Nec amoris affectus, quo ipſe quidem fidejuſſor in debitorem, pro quo fidem interponit, fertur, ad heredes ſuos deſcendit ſemper. Quibus adhuc accedit, quod durior heredum fiat conditio, ac ne ipſius quidem fuerit fidejuſſoris. Hic enim, rerum ſuarum, & conditionis, debitoris principalis gnarus, variis modis, ſpeciatim remedio juris ex *L. SI CONTENDAT* 28 *ff. de fidejuſſ.* damna quaevis propellere plerumque poteſt, illi vero, ignorantes plerumque: An? & cui defunctus fidem obſtrinxerit? nunquam fere, & eo minus indemnes praeſtari poſſunt, cum creditores, divitiis fidejuſſorum confiſi, moroſos debitores non urgeant, & in fine, ad incitas his redactis, immiſericordi actione fidejuſſoribus graves fiant. Colligendum quare eſt, quod ſequiori demum tempore, magis indies, magisque Juris Romani creſcente authoritate, ſaniori huic obſervantiae de rogatum ſit, quodve articulus hic Reverſalium XXV. derogationi *iſti indulſerit* magis, quam approbaverit, atque *confirmaverit* eandem.

## §. XXIII.

Digna ceterum eſt locutio in Inſtrumento citato *LVHIANO*: die geſammte Hand, quae animadvertatur, nec attentionem noſtram praetervolet. Nam in quaeſtionem jam venit: *An haec verba GERMANICA, idem involvant, quod LATINORVM: obligatio in ſolidum?* an vero innuatur iisdem, quod omnes *pro integro* quidem debito, ſed conjuncta manu, hoc eſt: *QVILIBET pro rata*, obſtrictus eſſe voluerit. Quae *Quid ſit: Geſamte Hand.*

 mea

mea eſt ſententia, poſterior explicatio & probabilior eſt, & verior. Quoties enim plures ad negotium aliquod expediendum accedunt, mit geſamter Hand, toties quilibet *pro ſua virili parte*, operam confert. Adeo, ut Phraſes iſtae: Die geſammte Hand, alle Hände anlegen, plures praeſupponant manus, vel aequaliter, vel aequabili portione, adjuvantes. Imo, dum in hac materia, locutionibus etiam utimur: ſeinen Strang ziehen, alle Stränge anziehen, quae in effectu plane cum altera Phraſi coincidunt, in metaphora eſt ſubſiſtendum, nec facile inde erunt, qui in contrariam ſententiam, hoc paſſu, a nobis ſunt diſceſſuri.

## §. *XXIV.*

*Ad verba:* die Bürgen

Sed propius ad viam, unde receſſi, redeundum eſt. In articulo XXVI. *REVERS. CIT.* circa cujus explicationem occupatus ſum, fidejuſſores in *plurali* numero commemorantur: die Bürgen. Jam vero in prapatulo eſt, quod haec vox, *INDEFINITE* poſita, *indefinite* etiam accipi debeat. Indeque ſequitur, non adeo abſonum eſſe, quando per Bürgen, hoc loco non tam intelligamus plures, *EJUSDEM debitoris fidejuſſores*, i. e. Confideiuſſores; ſed potius *diverſos DIVERSORUM debitorum* fidejuſſores: überhaupt alle Bürgen, quatenus pluralis numerus: die Bürgen, opponitur ſingulari: einem Bürgen. Praeſertim cum huic explicationi robur aliquod accedat, tum ex antecedenti *Rerverſal. articulo XXV*, in quo verba: der Bürgen Erben, neutiquam ad confidejuſſores ſpectant, ſed in genere de fidejuſſoribus quibuscunque, pro quovis debitore, ſunt accipiendi; quaſi ſcriptum fuiſſet; daß keines Bürgen-Erben, vel ita: daß überall kein Erbe von irgend einem Bürgen: tum etiam ex adhibito, in hoc ipſo *§pho XXVI*, *SINGULARI* numero in voce: Strang, videlicet ihres Strangs, i. e. die Bürgen, oder ein jeder Bürge, es ſey einer oder mehr erleget ſeinen Strang. Quum ſecus, ſi de confidejuſſoribus haec intelligi deberent, dicendum fuiſſet: der Stränge,

i. e.

i. e. daß, ſo viele Mittburgen, ſo viele Stränge zu erlegen. Et hac ratione, dubium in cidere poteſt: Numme verus hujus articuli ſenſus hic ſit, quod 1) in caſu, quo *unicus tantummodo fidejuſſit*, dividi obligatio debeat, inter *HVNC FIDEJVSSOREM* & *IPSVM DEBITOREM* principalem, & 2) in alio caſu, quo *plures quidem fidejuſſerunt*, tamen pro *VNO QVASI CORREO* omnes confidejuſſores ita habendi ſint, ut itidem *non ultra dimidium TOTIVS debiti teneantur*, & pro *ALTERO DIMIDIO* ipſe unice *DEBITOR* obſtrictus maneat, das ſie nur ihren Strang i. e. die helffte der eingeburgten Schuld erlegen, und für die andere helffte, der debitor ſelber einſtehen müſſe. Verum, ſi ingenue dicendum, quod res eſt, vehementer huic explicationi hiſtoria legis, & interpretatio uſualis obſtat. Quippe vi cujus totus hicce articulus ſemper & omni caſu de *CONCVRSV CONFIDEJVSSORVM* eſt explicatus. Nec ipſe hujus materiae contextus id permittit, ut ſenſus articuli ad alterum caſum; dividendae ſcilicet, *inter debitorem & fidejuſſorem*, obligationis, poſſit detorqueri. Ne tamen mihi exprobrent alii, me in re minime dubia, dubitandi occaſionem ca ptaſſe, vel, uti in proverbio dicitur, nodum in ſcirpo quaeſiviſſe, hoc mihi monendum adhuc eſt; non defuiſſe olim, qui beneficium iſtud diviſionis antiquiſſimum, quod a *PRAETORE*, ante *EPISTOLAM DIVI HADRIANI* jam erat conſtitutum. *PAVLVS L. I. recept. ſent. Sent.* 20. apud *GOTHOFRED in not. p. ad l.* 26. *ff de fidejuſſ* ad caſum quoque *VNICI* fidejuſſoris applicaverint; Conf. *l.* 27. §. 4. *ff. de fidejuſſoribus*, indeque effici facile poſſe, ut recentiori quoque tempore, in eadem, hic vel ille haereat haereſi.

## §. *XXV*.

Stabilita nunc theſi, quod ſolummodo de concurſu confidejuſſorum in dicto articulo diſponatur, jam ad ipſos ulterius progrediendum eſt caſus, qui inter fidejuſſores duos pluresve evenire communiter poſſunt. Et ſic *V*. diſ- *Quinque caſus exiſtentes.*

cernendi

cernendi ſunt caſus. Aut enim 1) Confidejuſſores fidem ſuam *NUDE* adſtrinxerunt, *ſine ULLA juris communis, & patrii RENUNTIATIONE*. Aut 2) Fidem duo pluresve interpoſuerunt cum *renuntiatione* beneficiorum *Juris COMMUNIS*. Aut 3) Duo ſemet obligarunt cum renuntatione, & Juris *COMMUNIS*, & *Juris MECKLENBURGICI*. Aut 4) renuntiarunt juri quidem domeſtico, *NON* vero *COMMUNI*. Aut denique V. renuntiarunt quidem exceptioni diviſionis ex utroque jure, nullam vero, *beneficii* fecerunt men, tionem *EXCUSSIONIS*.]

## §. XXVI.

*Caſus I.* Quod ad *PRIMUM* attinet caſum, nullum eſt dubium, quin *PRO RATA* ſolummodo teneantur fidejuſſores, & in ſubſidium demum, excuſſo antea debitore principali. Quod vero plane hoc caſu abſolvendus ſit fidejuſſor, id quidem ego non dixerim. Nam licet circa fidejuſſionis materialia, reſtrictiva obtineat interpretatio, tamen ipſae fidejuſſiones, quatenus hodie pacto perficiuntur, vim pacti habent, indeque paciſcentes obligant. Nec aliud, præciſe *IN MEGAPOLI*, vel uſu obtinere, vel peculiari conſtitutione fuiſſe ſancitum, huc dum obſervare mihi licuit.

## §. XXVII.

*Caſus II.* Qua caſum *SECUNDUM*, non obſtante renuntiatione generali, ad exceptionem diviſionis confugere poſſunt confidejuſſores. Non enim ſufficit, ſi quis in *genere* renuntiaverit beneficiis fidejuſſoriis. Renuntiatio enim eſt *ſtricti iuris*, & ſtrictiſſimae interpretationis. Nec regulariter praeſumitur, quendam â beneficio ſe excludere voluiſſe, de quo non cogitavit, quum decantatiſſima potius ſit regula, qua practici ſemper utuntur: renuntiationem *GENERALEM* non valere, niſi praeceſſerit *SPECIALIS*. At enim vero dijudicanda jam ſequitur quaeſtio. Num beneficium diviſionis, quod hoc caſu competit, *AD TEMPUS*

tantum-

tantummodo poſſit opponi, ita, ut excuſſo altero, viribus deſtituatur, & ad præſtationem integri adigatur alter? an vero vim *BENEFICII RATAE* habeat; indeque utroque caſu, ſive confidejuſſor ſolvendo ſit, nec ne, liberatio pro dimidia parte contingat? Secundum *JUS ROMANUM* prius quidem erit aſſerendum, ſed per *REVERSALES* noſtras *MECKLENBURGICAS* poſterius non poteſt non obtinere. Haut quidem me fugit, aliter ſtatuiſſe *ANTECESSORES ROSTOCHIENSES*, dum Anno 1612. MICHAELI BULOWEN reſponderunt; daß der Mecklenburgiſche Gebrauch denl caſum zum Grunde ſetze, wenn die übrigen Mitburgen noch in dem Stande seynd, daß ſolche bezahlen können, in deſſen Entſtehung aber man in der diſpoſition des Juris communis billig beſtehen bleiben müſſe: Verum non obſtante deciſione hacce contraria, firmiter huc dum aſſertioni meae inhaereo. Convenit enim eadem, tum *HISTORIÆ* legis, tum *LEGI* ipſi, quae ita eſt explicanda, quo *PRÆTER* diſpoſitionem *juris Romani*, quid concedat, *arg. l.* 1 *ff. ad municipal.* tum regulis ſanae *INTERPRETATIONIS*. Nec â vero eſt alienum, vel minimum a probabilitate, quod in illis, qui contrariam foverunt ſententiam, eadem regnaverit ſuperſtitio, quae tunc temporis tantum non omnium in vaſerat animos; jura nimirum domeſtica ſtrictiſſime, & ita eſſe interpretanda, ne laedatur Jus commune Romanum. Ad quod accedit, anno eodem, quo, modo antea notato, *AMPLISSIMA FACULTAS JURIDICA* reſpondit, legem ſcriptam nondum extitiſſe, ſed ad meram ipſi reſpiciendum fuiſſe conſuetudinem, per *SOLAM TRADITIONEM* ad poſteros translatam. Indeque facile fieri potuiſſe, ut in varios, circa *veros* iſtius obſervantiae *LIMITES*, diſſecti fuerint opiniones.

## §. XXVIII.

Jam ſequitur caſus *TERTIUS*, idemque forſan frequentiſſimus. Nam *curatiores* Practici, imo ipſi, ad rem attenti creditores, ante omnia cauti eſſe ſolent, quo in formula *Caſus III.*

mula fidejuſſionis, *omnia* fidejuſſorum *beneficia SPECIATIM* exprimantur, iisque, *praeſertim MECKLENBURGICIS*, diſertis renuntietur verbis, quo poſtea paratior ipſis detur executio. Pone itaque; ita eſſe ſcriptum: Wiedenn die Bürgen aller Rechts Woltharen, auch beſonders des Mecklenburgiſchen Land- und Hoffgerichts-Gebrauchs; Inhalts deſſen der Bürgen Erben nicht können belanget werden, ſo ferne nicht . . . . ingleichen die Burgen weiter nicht, als zur Erlegung ihres Strangs gehalten ſind, und aller andern, denen Burgen zuſtehender rechtlichen Wollthaten, ſich hiemit per expreſſum begeben. Et ſentiendum eſt, juris domeſtici exceptionem id operari, quo utique ad ſolidum teneatur quilibet, nec ſimplici, portionis virilis praeſtatione, nomen ſuum liberare poſſit alteruter. Interim tamen dubium hic ſuboritur: *num STATIM* atque *ABSOLUTE* condemnatio iſta *in ſolidum* locum habeat, an ex *POSTFACTO* demum, quando nimirum principalis debitor eſt excuſſus nec habeat confidejuſſor alter, unde ſolvat? Superius jam eſt expoſitum, non ſufficere generalem omnium beneficiorum renuntiationem, ſed ſpecialem accedere debere; Conf. GAIL. *libr. II. Obſ.* 27. *n.* 21. Ergo conſequitur, ut, cum in hoc exemplo propoſito beneficiis *JURIS ROMANI generaliter* ſolummodo ſit renuntiatum, fidejuſſori non poſſit praeſcindi exceptio, nec excuſſionis, nec diviſionis, *ad effectum ſcilicet MIXTÆ* oppoſita. Nec obſtat, quod clariſſimis tamen verbis in notula cautionis de Jure ſuo, quoad *competentiam RATAE*, idem ceſſerit. Nam iſta quidem renuntiatione, beneficium ratae in tantum ceſſat, ut *EVENTUALITER* in totum maneat obſtrictus; verum eo minus eadem excludit reliqua juris beneficia, quo magis certum eſt, conſtitutionem domeſticam non excludere *Juris Romani BENEFICIA*, neque abs expreſſis ad non expreſſa, in tali caſu valere argumentationem. Ut taceam, ſtrictiorem hic quoque praevalere debere interpretationem, neque lege generali poſteriori ea tolli, quae ſpecialiter in

in lege priori ſunt conſtituta. Imo ſtatuerem, quod ſi, vel maxime in praeſenti caſu, haec quoque verba notulae cautionis, ſupra commemoratae inſerta fuiſſent, e. gr. Wie dann die Bürgen ſich hiemit, ſamt und ſonders, einer vor allen, verſchreiben, tamen beneficium *DIVISIONIS* non *PLANE* exulare debeat, niſi renuntiatio *juris NOVISSIMI*, Novellae nimirum 99. Cap. I. & AVTHENT. *hoc ita C. de duob. reis*, ſpecialiſſime acceſſerit.

## §. XXIX.

Facile ex his argumentatio fieri poteſt ad CASVM IV. & V. Nam, quid ſi quis ſcripſerit, absque mentione beneficiorum juris communis, hac praeciſe formula: Ich begebe mich der Landes Reverſalien, oder: des Land-Rechts, oder: des Land- und Hoff-Gerichts Gebrauchs, Vel: quid ſi ſcripſerit: Begebe mich des beneficii diviſionis, und des Land- und Hoff-Gerichts-Gebrauchs, citra beneficii *EXCUSSIONIS*, injectam commemorationem. Num ea propter *PLANE* rejicere deberet judex, priori caſu, exceptionem diviſionis, quoad effectum *MIXTAE* oppoſitam, & poſteriori exceptionem *EXCUSSIONIS*? Hoc non putaverim, ſed *negativa*, per ea quae §pho antecedenti expoſui, mihi praevalet reſponſio. *Caſus IV. & Vtus.*

## §. XXX.

Conſtat ex his ante deductis, ſemper, & omni caſu requiri, ut renunciatum ſit REVERSALIBUS PROVINCIALIBUS, quoties ad praeſtationem TOTIUS, vel STATIM, vel ex POSTFACTO confidejuſſor poſſit adigi. Sed, QVIBVS PRÆCISE VERBIS, *renuntiatio iſta fieri debeat*? id inquirendum nunc eſt. Non vero opus eſſe arbitror, quo rigide nimis, ipſis verborum corticibus inhaereamus, ſed qualiscunque potius, tenui meo judicio, formula ſufficere poteſt, modo *non plane* JUS PATRIUM, ſilentio, in eadem ſit praetermiſſum. Sive igitur quis ſcripſerit: Ich be- *Quaenam formula renuntiationis requiratur.*

 gebe

gebe mich des Land-Rechts, ſive: der Reverſalen, ſive: des Land- und Hoff-Gerichts Styli, oder: Gebrauchs. Sive quis ſcripſerit: Ich verpflichte mich aufs bündigſte, alß es immer nach gemeinen Land-Rechten geſchehen kan und mag, perinde eſt, atque eandem, hae renuntiandi formulae habent vim & effectum, quam ſolennior iſta: Ich begebe mich des eingeführten Land- und Hoff-Gerichts Gebrauchs, daß ein Bürge mit Erlegung ſeines Strangs ſich entfreyen könne. Cum male e contrario ſecuritati creditoris eſſet proſpectum, ſi hicce, his fidejuſſores uti FORMULIS, paſſus ſit: Ich begebe mich aller und jeder Einwendungen, ſive: ich verſchreibe dieſes in beſter Form Rechtens, ſive etiam: Ich hafſte *in ſolidum*. Videtur quidem, in omnia alia hic ire Dn. SIBRANDUM, *Facultatis Jurid. Roſtochienſ. olim Anteceſſ. celeberr. jam Tribunalis Regii Wiſmarienſis Aſſeſſorem digniſſimum*, in 2 decad. Jur. Sing. Mecklenburg. Exemplo XIV, ubi ſequentem in modum diſſerit: *Et quoque hoc concludendum ex praemiſſis videtur; nec hoc ſufficere in* MEGAPOLI *noſtra, ſiquis* HAC vel ALIA SIMILI *formula fuerit uſus:* renuntiiren hiemit und Kraft dieſes dem beneficio ordinis, diviſionis und allen Mecklenburgiſchen Gebrauchen, wie ſie Nahmen haben mögen. *Sed in ſpecie addendum*: **dem eingeführten Land- und Hoff-Gerichts-Gebrauch, daß . . .** *forma enim per aliud aequipollens adimpleri nequit*. Vid. etiam §. *V. ibid.* verbis: *cum idem ſit, non fieri, vel non legitime fieri*. Sed quis crederet, ex ſono verborum, non autem ex mente & voluntate contrahentium, valere debere renuntiationes. Et, quoties non expreſſe contrarium ſancitum, ſufficiunt verba aequipollentia, modo clariſſime inde colligatur animus ſponſoris, renuntiare volentis. Conf. MASCARD *de Probat. Concl.* 1389. *n.* 4. Quid! quod re ipſa nequidem a nobis diſſentiat laudatus modo Autor, dum dilucide in fine §. *VI. ibid.* declaret, quod EXPEDIAT, i.e. melius ſit, hoc fieri, *quo litium materia ac anſa evitetur*, & initio

Sphi

ſphi ejusdem, verbo uſus ſit: *concludendum* VIDETVR, non ſimpliciter ſcripſerit: *concludendum* EST.

## §. XXXI.

Quod reliquum eſt, cave putes, *conſuetudinem* hancce *MECKLENBVRGICAM*, ſimpliciter in *DICASTERIO* noſtro *PROVINCIALI*, non in *CANCELLARIIS* obtinere. Non enim verba in articulo noſtro: Mecklenb. Land-und Hoffgerichts Gebrauch, eo ſunt detorquenda, ut Ducalia cetera judicia, pro excluſis atque exemtis, reputari debeant. Obſtat potius tali opinioni, conſtitutionis *HISTORIA*, atque *PERPETUUS USUS* in contrarium. Et nemo, niſi hiſtoriæ patriae plane hoſpes fuerit, ignorare poteſt, in ipſa hiſtoria, *DE ORIGINE atque antiquis LIMITIBVS* (qui hodie quadantenus mutati ſunt) *SUMMORUM* in *MEGAPOLI JUDICIORUM*, veram quaerendam eſſe rationem, quare reliquorum Dicaſteriorum facta non ſit commemoratio. Conf. omnino *KLUVERVS* emendatus, ſive: die Beſchreibung des Hertzogthums Mecklenburgs P. I. Cap. III. von denen Gerichten des Landes Mecklenburg. Ut taceam, lites ſuper hujus modi cauſis, ſaepiſſime per apppellationis remedia, ad *PROVINCIALE HOC DICASTERIUM* devolvi; indeque conſuetudinem, ſeu *ſtylum curiæ*, *HUJUS ILLUSTR.* judicii, pro univerſali norma eſſe habendam; inprimis, cum *LEGE* provinciae *UNIVERSALI*, fuerit firmatus idem, atque probatus. Imo, teſtem inſuper habeo locupletiſſimum, ſaepius cum laude jam nominatum *DN.* SIBRANDUM, qui *loc. cit* §2. ita pergit. *Et quidem obtinet hoc non ſolum in Dicaſterio Provinciali, ET IN CANCELLARIA PRINCIPIS, ſed & Facultas Juridica Roſtochienſis hanc ſemper ſecuta eſt obſervantiam.* Et, licet B. STRYKIUS *in diſſ. ſua de Cautel. abundant Cap. II. n'* 68. ſtatuerit: *in NON NULLIS Megapoleos locis, uſu receptam eſſe hanc conſuetudinem*, tamen hac aſſertione, rei veritati nihil detrahitur, ſed corrigendus eatenus eſt Autor celebratiſſimus,

ut ad *QUÆCUNQUE* promiſcue loca, quæcunque etiam judicia, ſive *DUCALIA* ſive *CIVITATENSIA*, ſive *PRÆFECTURARUM* ſive *PATRIMONIALIA NOBILIUM* extendenda eadem ſit; cum Reverſales noſtræ *GENERALES* ſint, omnia promiſcue hujus provinciæ loca obligantes. Conf. TORNOV *de Feudis Mecklenb. P. I. Sect. IV.* § *X. pag.* 580.

## §. XXXII.

Occurrit alia quæſtio: *Num hic articulus* ad *QUOS VIS correos debendi*, citra confidejuſſores, *valide poſſit extendi, nec ne*? Putarunt quidem alii, negative eſſe reſpondendum. Aſt mihi contraria ſententia placet. Nam eadem ubique, qua ſolidi præſtationem, eſt ratio, ſive de confidejuſſoribus ſermo ſit, ſive aliis debitoribus correis. Eadem ergo juris applicatio locum obtineat, neceſſe eſt. Nec deficiunt præjudicia & res judicatæ, quibus grave ſententiae meae accedit pondus. Et praeſertim dubia iſta, quæ communiter opponi ſolent, abunde refutarunt *EXCELLENT. ANTECESSORES ROSTOCHIENS*: in Reſponſo, *ad Conſultationem* Blüchers zu Daberko, *anno* 1628, *dato*.

## §. XXXIII.

Porro alius obvenit caſus, qui prætereundus non eſt. Pone nimirum, duos pluresve eſſe confidejuſſores, probe ſcientes, ex obligationibus ſuis ad ſolidum, ad ipſam ſolidi praeſtationem ſe non aliter teneri, quam, ſi *EXPRESSE JURI PATRIO* ſit renuntiatum. Pone etiam; intercedere eosdem ſub renuntiatione *GENERALI* quorumvis beneficiorum *JURIS COMMUNIS*: ſich aller Rechts Wolthaten, nahmentlich des beneficii excuſſionis diviſionis & cedendarum actionum begeben, ſed mentionem *REVERSALIUM*, *callido* forſan conſilio, non injicere. Pone amplius, conveniri tum alterutrum de ſolido, & conventum ad beneficium ratæ provocare. Et jam ex ſurgit quæſtio: *Numne, propter ADMISSAM FRAUDEM, obligatus uterque fiat in ſolidum*?

*dum*? an vero, HAC NON OBSTANTE, *articulus noſter Reverſalium, iis ſuccurrat*? Mea ſententica utique, per hanc conſtitutionem, tuti abs ſolidi praeſtatione manent. Ut enim taceam, ſolam ſcientiam regulariter non eſſe damnoſam ſcienti, qui propterea jure ſuo uti non prohibetur, *arg. l.* 8. §. 15. *quibus mod. pign. vel hypoth. ſolv.* Manifeſti certe eſt juris, quemlibet propriae imputare deberene gligentiae, quod melius non caverit *L.* 2 *pr. ff. de tranſact.* Et, qui ſibi hoc vel illo modo cautum eſſe voluit, vel ipſe ſibi cavit, cautione illa contentus eſſe debet, ut ut ſit deceptus. *l.* 9. § 3. *in f. ff. de pignorat. act.* Quippe damnum, quod hac ratione ſentit, ſua culpa ſentit, & hinc nequidem ſentire intelligitur *L.* 203. *ff. de R. J.* Et, ſi ſe in jure non ſatis verſatum prætendat, pariter ſibi imputet, quod peritiores non conſuluerit, uti rationes ſubducit B. STRYK *in C. C. Sect.* 3. 1. *Cap. l.* §. 9. Graviter quidem obſtare videtur. *L.* 2. §. *ff. ad* SCT. VELLEJ. vi cujus evidens eſt, foeminam non juvari SCto Vellejan. ſi de fraude conſtet, e. g. ſi ſciverit, ſe ex fidejuſſione valide non teneri, & tamen intercedat. Verum reponitur ad eandem, quod abs hoc caſu ſingulari non poſſit argumentum duci ad confidejuſſores. Subveniunt leges IMBECILLITATI ſexus Foeminini, aſt non calliditati ejusdem, qua creditoris ſecuritatem, IN TOTUM fruſtrari intendit, Sed quoad confidejuſſores, non tam animus ipſis eſt, fallere omnino promiſſum, quam *MODIFICARE* iſtud. Eo quo non tam FRAUDULENTER egerunt, quam integrum erat, ad ſuum etiam commodum cautela reciproce uti. In contrariam tamen ſententiam in clinaſſe videntur CONSVLT. ICTI ROSTOCHIENSES, qui anno 1585. d. 21 Dec. ita reſponderunt: Es were dann, daß gedachte Bürgen des Mecklenburgiſchen Gebrauchs, Wiſſenſchafft gehabt, und ſich nichts weniger in ſolidum oblig ret, auff den Fall weren ſie, der abgeſtorbenen Bürgen Antheil auch abzutragen, mit verpflichtet. SELECT. JURID. ROSTOCH. *ſp.* 20. *qu l.*

§. XXXIV

## §. XXXIV.

Imo plures quidem ſuperſunt caſus, qui mererentur, ut in medium hic prolatae diſquirantur. Verum anguſtia temporis, qua excludor, non permitit, ut altius eosdem diſcutiam. Et, poſitis ac probatis principiis, quisque ut ſpero, aliis, ex hac materia fluentibus caſibus decidendis, haut impar erit. Digitis interim extremis, aliam atque aliam quaeſtionem in ſequentibus adhuc attingam, tactæque reſponſionem ſubjungam.

I) In caſu itaque, quo Confidejuſſores ſemet obſtrinxerunt, alß ſelbſtſchuldige Bürgen, BENEFICIVM RATÆ, niſi ſpecialis renunciatio Jurium Mecklenburgicorum acceſſerit, NON EXULAT. Atque ita *in curiâ Megapolitana pronuntiatum eſſe*, aſſerit B. COTHMANNVS. Vid: *ſelecta Jurid Roſtoch ſp.* 32 *qu. I.* Conf. etiam STRYCK *in C. C. Sect. II. Cap. VI.* §. 22.

II) Quoties duo fidejuſſores, RECIPROCA fide ſe obligarunt, toties *eventualiter* in *ſolidum* tenentur, excuſſo videlicet confidejuſſore altero. Duplex enim, ſucceſſivo actu contracta adeſt fidejuſſio. Altera, qua uterque confidejuſſor, pro debitore principali ſe adſtrinxit, & altera, qua confidejuſſor, *pro confidejuſſore*, ſuam *INSUPER* interponit fidem.

III) Qui cum foemina, quam inutiliter intercedere ſciebat vel ſcire poterat, in ſolidum correaliter fidejuſſit, tamen non poteſt conveniri, ſed itidem beneficio ratae, JURE MECKLENBURGICO, gaudet. Neque lex 48 pr. ff. de fidejuſſ. obſtat, nec re ipſa *Dn.* LEYSERUS contrarius eſt, *in Spec. ad ff.* 525 *medit* 7.

IV) Idem, qua illos quoque valet, qui una cum minoribus in ſolidum ſe obſtrinxerunt.

V) Confidejuſſores, licet *JURATO* renuntiaverint beneficiis juris, tamen praeſtatione ratae nomen ſuum liberant

rant. Namque fallit regula; *juratam renuntiationem, vim ſpecialis renuntiationis habere*; Neque enim juramentum novam producit obligationem, ſed eam, quae jam adeſt, confirmat.

VI) Foemina pro dote, pia cauſa, liberatione, vel apud minorem pro inope debitore intercedens, valide obligatur L. *fin.* C. *ad* SCT. VELLEJ. L. 12. *ff. de minor.* *MEV. P. III. D.* 85. BRVNNEM. *ad L.* 16. *ad SCt. Vellej.* Et ratio hujus rei redditur, quia creditum, pro quo intercedit, MAGIS *favorabile* ſit, quam privilegium ſexus foeminini. BOEHMER *in J. digeſt. tit. eod.* §. 16. Videtur inde, in cauſis ejusmodi privilegiatis, ob PARITATEM *rationis*, confidejuſſores Mecklenburgicos, citra renuntiationem Reverſalium, eſſe *in ſolidum* condemnandos. Verum contrarium tamen ſtatuo, quia, lege non diſtinguente, nec noſtrum eſt diſtinguere.

VII) Fidejuſſori INDEMNITATIS, articulus REVERSALIUM PROVINCIAL. non ſuccurrit, ſed SOLIDUM hic praeſtare tenetur, excuſſis antea fidejuſſoribus principalibus. Quia non tam confidejuſſor eſt, quam PECVLIARITER ad indemnitatem praeſtandam ſemet obſtrinxerit. Verum de cetero, cum LEYSERO facio, qui *in genere* hodie, diſcrimen inter fidejuſſorem ſimplicem & indemnitatis, non admittit. In *Spec.* 523 *ff. medit.* 10. 11.

VII. Confidejuſſores, licet ad carcerem ſemet obſtrinxerint, ſive ad OBSTAGIVM. *Dn. de* FRICCIUS in der Wiederlegung der Nachtheiligkeit des Einlagers, *Hamburgi* 1732, vel ad PICTURAM FAMOSAM. B. BRUNNQUELL *in diſſ. de pictura famoſa.* Vel: bey Adelichen Ehren, vel: bey Cavallier-parole, tamen NON ULTRA RATAM tenentur, niſi *expreſſam* REVERSALIUM adhibuerint *renuntiationem.*

## §. XXXV.

Jam, pro ingenii modulo atque temporis penuria, librorum quoque copia deſtitutus, iter confeci, quod circa praeſtationem ratae, in cauſa *praecipue* CONFIDEJUSSORUM

IN MEGAPOLI, emetiendum, in animo inſtitueram. Quam vero vellem, ita confeciſſem idem, ne hallucinatus, imo lapſus eſſem. Interim *benevoli lectores*, memores eorum, quae ſtatim ſub ingreſſu hujus diſſertationis ſcripſi, facile veniam largientur, & ego, ſancte ex mea parte promitto, me, amice monitum, ea quae minus ſcite compoſita, quæve minus recte ſcripta, grata emendaturum mente.

§. *XXXVI.*

Quod reliquum tamen adhuc eſt, non facile quempiam fugit, rationem ratæ quoque habendam eſſe, ſi ceteros juris titulos tranſeam.

I) in materia *detrahendæ* FALCIDIÆ. Singulare vero hic eſt, quod legatum *piae cauſæ* INDISTINCTE Falcidiæ non ſubjaceat. NOV. 131. *Cap.* 12. AVTH. ſimiliter C. ad l. Falcid. quodve damnum *heredis* eſſe debeat. BOEHMER. *in Jure. dig. tit. citat.* §. 18.

II) IN CONCURSU CREDITORUM, & quidem

1) circa *ſumtus*, in proceſſum liquidationis factos, ſingulis creditoribus pro rata deducendos. Id quod in Megapoli tamen ſecus.

2) in caſu L. 10. ff. de Pignorib. & hypoth.

3) circa perſonali privilegio munitos creditores, in claſſe IV. ſi ejusdem ſint tituli. l. 32. ff. de reb. aut. Jud.

4) circa nudos Chirographarios.

§. *XXXVII.*

Sed de properandum mihi eſt, quo colophonem huic diſſertationi addam; ubi ultimo loco CAVSAE CRIMINALES ſe ſe ſiſtunt. DVÆ ſunt REGVLÆ GENERALES, quæ in his materiis obſervandae veniunt.

I) Quoad *poenam* PECVNIARIAM, DAMNVM, & Intereſſe RATA conſideratur, quia contra bonam fidem eſt, bis idem exigere. *l. 57. ff. de R. J.* Quoties vero aliqui non ſunt ſolvendo, toties ceteri IN SOLIDVM merito tenentur, juxta proverbium: Den ich im Sack finde, den ſchütte ich heraus.

II) Quoad POENAM vero, *corporis* AFFLICTIVAM, respectus RATAE *ceſſat.* Non enim ſufficit, unum reorum, poenam luere, ſed, reos omnes luere, & legibus

bus & rationi convenit. Id quod illuſtrari quam optime poteſt exemplo caedis, ex compacto, ſ. PER CONSPIRATIONEM peracto, quo conſpirantibus complicibus omnibus, ultimum ſupplicium decerni debet. Conf. *CCC. art.* 148. ibique *Dn.* KRESSIVS. Et uti *Conſultiſſ. Dn.* PRAESES mecum communicavit, duo intra ſemeſtre ſpatium, horrendi caſus ad *Ampliſſimam Facult. Iuridic.* ad decidendum ſunt delati, quorum altero, propter reſpective CONSPIRATIONEM & incidentem *cooperationem*, plus quam triginta ſex ruſticorum in caedem praefecti quinque complicibus, capitalis; alter, vero, ob non ſecutum homicidium, arbitraria eaque gravis, in delinquentes ſocios quosvis, ſtatuta fuerit poena.

§. *XXXVIII.*

Tandem BRVNNEMANNVS *ad l. 5. de agnoſcend. & alend. Libr n.* 20. quidem arbitratur, in caſu, quo ex conventitiis patribus, natus eſt infans, omnes ſtupratores PRO RATA ad alimenta conferre debere, ſed refutatus eſt abs Illuſt. LEYSERO *in medit. ad ff. ſpec.* 322. *med.* 9. cujus ſententiae adſcribo.

*Devota nunc mente agnoſco gratiam divinam, pro viribus hactenus clementiſſime conceſſis, velit porro conatibus meis ex alto benedicere. Sitque*

SOLI DEO GLORIA.

---

Clariſſimo atque Doctiſſimo Dn. CANDIDATO, *Fautori atque amico humaniſſimo*

P. S. D.

PRAESES.

D*uo ſunt*, Clariſſime Dn. *CANDIDATE, quæ præter cæteras ingenii dotes morumve ſuavitatem, inſigniter TE commendant. Candor nimirum animi & ſolida rerum ſcientia. Illæ es amabilis nemini non, cui dulci Tua conſvetudine frui contingit. Et mihi certe, Tecum colloquenti,*

*ſaepius*

ſæpius in mentem venit triti iſtius Proverbii, in gloriam Cimbriæ populorum alias uſitati: Nach alter Holſten Treu; idque, Tuæ maxime in tegritati convenire, animadverti, Teque nomen hujus rei habere & omen Hancvero, nullo cujusquam præconio indigere, res ipſa loquitur. Namque profectus TUOS, eruditae teſtantur Reſponſiones, quibus in Examine iſto rigoroſo, ſingulis Facultatis noſtræ membris ſatìs feciſti. Teſtatur merita munus Advocati, quo per aliquot retro annos cum inſigni Clientum fructu, nec minore laude functus es. Comprobat utrumque diſſertatio haecce Inauguralis, non absque induſtria, â TE conſcripta. Et quamvis haut negaverim, non nulla, partim ad methodum, partim quoque ad ipſam materiam ſpectantia, cogitatis TUIS interſpergi potuiſſe, imprimis quoad GENERALIORA RATÆ, ex JOHANNIS BAPTISTÆ COSTÆ tractatu: de quota & rata, qui ſecundum editionem, quam ego poſſideo, Noribergenſem de anno 1667, quaeſtiones CLX. de congrua in Jure partitione diſcuſſit, & qua SPECIALIA, Ducatus MECKLENBURGICI JURA in cauſis fidejuſſoriis, ex Hiſtoria Juris Germanici, & diſſertatione cultiſſima CL. DN. ENGELBRECHTII, ſub praeſidio EXCELLENT. Dn. D. & Prof. BALTHASARIS, Gryphiae A. R O. 1736, ſub tit. de beneficiis Styli Curiae, fidejuſſoribus in Pomerania indulto, venti lata, tamen ea, quae literis a TE conſignata ſunt, tum limitibus diſſertationis Academicæ, tum publico teſtimonio, dignum TE eſſe, cui ſupremi in Jure honores conferantur, affatim ſufficiunt. Gratulor itaque ſolidam doctrinam, gratulor virtutes, harumque præmia jam jam in ſecutura. Faxit Deus T. O. M. quo ſalvus ſemper vivas atque incolumis, in Patriæ emolumentum, ornatiſſimæ Familiae praeſidium, & Fructus ipſe laborum, metere poſſis uberrimos Vale, Fautor honoratiſſime, dilectiſſime, & ſi in poſterum officiis meis inſervire potuero, ſane promtiorem hac in parte habebis neminem. Vale, mihìque fave. Deproperabam ex Muſeo.

Roſtochii, d. XX. Martii
MDCCXLI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-692419-p0055-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-692419-p0056-6

155165

ULB Halle 3
006 572 26X

VD18

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-692419-p0057-1

AB
155165

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-692419-p0058-7

# DISPVTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
# DE
# PRAESTATIONE
# RATAE,
VULGO:
## Von Erlegung ſeines Strangs.

QVAM
*ANNVENTE DIVINA GRATIA*
AVTORITATE ET CONSENSV
AMPLISSIMI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN CELEBERRIMA ROSTOCHIENSI ACADEMIA
SVB PRAESIDIO
## DN. IOHAN. PETR. Schmidt,
V. I. D. ET COD. PROF. PVBL. ORD. FACVLTATIS IVRIDICAE H. T. DECANI
*PRO LICENTIA*
SVMMOS IN VTROQ. IVRE RITE CAPESSENDI HONORES
ANNO O. R. cIↄ Iↄ CC XLI. d. MARTII.
*H. L. Q. C.*
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SISTIT
## THEOD. AVGVSTIN. HOLSTEN,
RIBNIZIO MECKLENBVRGICVS
IVR. CAND.

*ROSTOCHII*, LITTERIS IOAN. IAC. ADLERI,
SERENIS. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-692419-p0059-5